Bach, Nicolaus
Historia critica
poesis graecorum
elegiacae

HISTORIA CRITICA
POESIS GRÆCORVM ELEGIACÆ.

PROGRAMMA

QVO

PVBLICI EXAMINIS SOLENNIA

IN

GYMNASIO FVLDENSI

DIEBVS VI. VII. VIII. MENSIS APRILIS A. MDCCCXXXX.

RITE CELEBRANDA

INDICIT

NICOLAVS BACHIVS

GYMNASII DIRECTOR.

FVLDÆ 1840.

TYPIS VTHIANIS.

Νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει, τἆλλα κωφὰ καὶ τυφλά.
ΕΠΙΧΑΡΜΟΣ.

Animus cernit, animus audit: reliqua surda et cæca sunt.
TERTVLLIANVS.

Impetus ille sacer qui vatum pectora nutrit divino quodam afflatu hominum animis infusus. Eademque vis divina quæ humano generi humanitatis studium ingeneravit alias aliis gentibus largita est dotes atque virtutes, Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo Musa loqui. Et primum quidem, ut poeta ait, res gestæ regumque ducumque et tristia bella quo scribi possent numero monstravit Homerus. Homerus autem quemadmodum ex Oceano dicit ipse amnium vim fontiumque cursus initium capere, omnibus Græcæ poesis generibus exemplum dedit et ortum. Sic factum ut ex eodem fonte, unde profectus est hexameter heroicus, epicæ poesis mensura, tanquam rivulus emanaret pentameter elegiacus, qui epodi instar hexametro ut vitis ulmo adiunctus primam eandemque simplicissimam quam dicunt stropham efficeret, neque solum aditum ad lyricam poesin patefaceret, sed ipsum quoque Ionicum melos procrearet. Nam sicut omnis Græcorum poesis tanquam arbos patulis diffusa ramis ad tria revocatur genera, epicum, lyricum, scenicum, unde sicut e tribus eiusdem trunci ramis surculi quidam exierunt, ita lyrica poesis a tribus potissimum gentibus exculta: ab Ionibus inventa est elegia, Æolibus melos suum maxime acceptum, Dores autem choros imprimis celebravere. Ipsa vero elegia, etsi rursus triplicem præcipue viam ingressa modo res publicas morumque præcepta, modo querimoniam, modo amorem distichis inclusit, e communi tamen brachio recentes subinde emisit palmites novis deliciis luxuriantes.

Iam velut Aratus ab Iove incipiendum putat, ita nos rite cœpturi ab Aristotele videmur, qui princeps apud Græcos viam monstravit ad verum in litterarum rerumque historia indagandum idque a falsis ac præposteris opinionibus sagaciter distinguendum: Aristoteles enim de Poetica c. 1, 7. *οἱ ἄνθρωποί γε*, inquit, *συνάπτοντες τῷ μέτρῳ τὸ ποιεῖν ἐλεγειοποιούς, τοὺς δὲ ἐποποιοὺς ὀνομάζουσιν,* [1]) *οὐχ ὡς τοὺς κατὰ μίμησιν ποιητάς, ἀλλὰ κοινῇ κατὰ τὸ μέτρον προσαγορεύοντες.* Vnde hoc quidem luce clarius apparet, Aristotelem eiusque æquales vocabulum

[1]) i. e. alios poetas elegiacos, alios epicos appellant. Quare fuerunt qui libris invitis ante vocem *ἐλεγειοποιοὺς* inserendum putarent *τοὺς μέν,* quo tamen supplemento facile caremus. cf. Matthiae gramm. Graec. §. 288. not. 4.

ἐλεγεῖον non aliter usurpasse nisi de metro carminis elegiaci, ita ut nulla prorsus argumenti habita ratione ἐλεγειοποιοὺς appellaret eos qui poemata distichorum metro includerent: id quod egregie confirmat Hephæstio Enchirid. p. 116 ed. Gaisford. Σύστημα δέ ἐστι μέτρων συναγωγή, ἤτοι δύο ἢ πλειόνων, ἢ ὁμοίων ἢ ἀνομοίων, ἀνομοίων μὲν, ὡς τὰ ἐλεγεῖα (ἑξαμέτρου γάρ ἐστι πρὸς πεντάμετρον κοινωνία) καὶ οἱ ἐπῳδοί, τὸ δὲ ἐξ ὁμοίων, ὡς τὸ δεύτερον Σαπφοῦς.[2]) Hæc verba utique spectant ad primam lyricarum stropharum originem ita comparatam, ut epicam simplicitatem et æquabilitatem, qualem præ se fert metrum hexametrum dactylicum κατὰ στίχον repetitum, relinqueret poesis mutationemque numeri paullatim institueret. Prima autem et minima mutatio Hermanno Bœckhioque iudicibus ita instituta est, ut hexametro dactylico heroico epodus apponeretur ex duplicato trimetro catalectico in syllabam: unde nata prima stropha, *distichum elegiacum*,[3]) id quod verissime iam docuit Didymus in Etymologico Gudiano p. 180, 21. ὅτι διὰ τοῦτο [sc. τὸ ἐλεγεῖον, quatenus declarat *pentametrum*] τῷ ἡρῴῳ [*hexametro*] ἐπῳδόν.

Iam via ac ratione longius progressuri atque a rebus apertis sensim sensimque ad obscuriores deflexuri ante omnia explicemus necesse est, quid sibi velit ipsum illud quo de agitur vocabulum ἐλεγεῖον, cuius quidem formam proprie adiectivam fuisse facile in oculos incurret, si quis comparaverit loquendi formulas, quales sunt ποιητὴς ἐλεγεῖος apud Strabonem XIIII p. 921. ἐλεγεῖον μέτρον apud Draconem Stratonicensem p. 161, 27. apud Suidam Vol. II p. 175, 2 ed. Bernhard. Etymolog. M. p. 327, 7. et in Tzetzæ scholiis ad Lycophron. p. 257. ἐλεγεῖος στίχος apud Eustathium ad Iliad. p. 984, 9 atque ad Odyss. p. 1673, 50. Ex quo evenit ut Pseudophalaris Epist. 144. Stesichori quoddam carmen a distichorum metro alienum contra usum plerumque acceptum a querulo eius argumento dixerit μέλος ἐλεγεῖον. Ab hac autem forma adiectiva differt altera quæ est ἐλεγειακός. Nam sicut ἐλεγεῖον, quod paullo inferius demonstrabimus, primitus spectat ad ἔλεγον, ita ἐλεγειακὸν id quod ad τὸ ἐλεγεῖον (*distichum*) sive ad τὴν ἐλεγείαν (*carmen elegiacum*) pertinet, ut πεντάμετρον ἐλεγειακὸν apud Dionysium Hal. de Compositione verborum p. 388 ed. Schæfer. ἐπινίκιον ἐλεγειακὸν apud Athenæum IIII p. 144 E. ἐλεγειακὰ βιβλία ibidem XIII p. 597 A. ἐπικήδειον ἐλεγειακὸν apud Hephæstionem Enchirid. p. 9.[4])

[2]) Vid. Neue ad Sapphonis fragm. p. 13.

[3]) Vid. G. Hermanni Elementa doctrinae metricae p. 670. A. Boeckh. de metris Pindari p. 272. cf. Conradi Schneideri diss. de carmine Graecorum elegiaco Daubii et Creuzeri Studiorum Heidelbergensium Volumini IIII p. 4. sqq. inserta.

[4]) Hunc usum a Romanis repetendum esse iudicavit I. V. Franckius Callin p. 34. Immo Latinorum adiectivum elegiacus eodem iure a Graecis descendisse atque formam spondiacus (σπονδειακός enim eadem lege referendum est ad σπονδεῖον, qua ἐλεγειακός derivatur a voce ἐλεγεῖον) verissime animadvertit Caesar de carminis Graecorum elegiaci origine p. 36.

Vbi igitur simpliciter positum fuerit *ἐλεγεῖον*, ex ipsius sententiæ tenore apparebit quodnam substantivum supplendum sit: unde fit ut modo *ἔπος* modo *δίστιχον* vel *μέτρον* sive *σύστημα* subaudiatur. Merus autem versus isque pentameter intelligitur a Critia, qui in elegia ad Alcibiadem scripta (fragm. 3), quum eius nomen non quadraret in metrum dactylicum, pentametri loco admisit senarium iambicum:

Καὶ νῦν Κλεινίου υἱὸν Ἀθηναῖον στεφανώσω
Ἀλκιβιάδην νέοισιν ὑμνήσας τρόποις·
οὐ γάρ πως ἦν τοὔνομ' ἐφαρμόζειν ἐλεγείῳ,
νῦν δ' ἐν ἰαμβείῳ κείσεται οὐκ ἀμέτρως.

Vides *ἰαμβεῖον* dictum esse de trimetro iambico, velut in Platonis Euthydemo p. 291 D. *τὸ Αἰσχύλου ἰαμβεῖον.* Aristophanis Ran. 1131. *τρισὶν ἰαμβείοισιν.* [5]) Quum autem *ἰαμβεῖον* a Critia positum sit loco *ἐλεγείου*, ipsum hoc vocabulum *ἐλεγεῖον* de singulari pentametro, non de disticho accipiendum esse evincitur. [6]) Quocum consentiunt etiam grammaticorum explicationes. Aristides Quintilianus de Musica p. 51 extr. ed. Meibom. præcipuas hexametri dactylici cæsuras recensens: *πρώτη μέν [τομή]*, inquit, *ἡ μετὰ δύο πόδας εἰς συλλαβήν, ἣ καὶ διπλασιαζομένη ποιεῖ τὸ ἐλεγεῖον.* Eandem sententiam paullo aliter expressit Hephæstio Enchirid. p. 92. *τοῦ δὲ δακτυλικοῦ πενθημιμεροῦς δὶς λαμβανομένου γίνεται τὸ ἐλεγεῖον, ἀλλὰ τὸ μὲν δεύτερον αὐτοῦ μέρος ἑπτασύλλαβον ἀεὶ μένει, ἐκ δύο δακτύλων καὶ συλλαβῆς, τὸ δὲ πρότερον κινουμένους ἔχει τοὺς δύο πόδας, ὥστε ἢ δακτύλους αὐτοὺς γίνεσθαι ἢ σπονδείους, ἢ τὸν μὲν πρῶτον δάκτυλον, τὸν δὲ δεύτερον σπονδεῖον, ἢ ἀνάπαλιν τὸν μὲν πρῶτον σπονδεῖον, τὸν δὲ δεύτερον δάκτυλον.* [7]) Quam quidem hexametri et pentametri copulationem posteriores demum grammatici peculiari appellatione *ἡρωελεγεῖον* distinxerunt, velut Draco Stratonicensis p. 171, 20. *Τὸ δὲ ἡρωελεγεῖον ἴδιον μὲν οὐκ ἔστι μέτρον, ἀλλ' ἐκ τῆς τῶν στίχων κατὰ συζυγίαν ἐκθέσεως, ἑνὸς μὲν ἡρωικὸν ἔχοντος μέτρον, ἑτέρου δὲ ἐλεγεῖον, ὡς τὰ ἐπιγράμματα ἔχουσιν.*

5) Erravit F. Thierschius in Actis Monac. III p. 587 illius appellationis antiquissimum testem provocans Herodotum, qui I, 12 versum eius generis de Gygae divitiis *τρίμετρον ἰαμβεῖον* dixisset: immo Herodotus dixit *ἐν ἰάμβῳ τριμέτρῳ*, non *ἰαμβείῳ*. cf. Lycurg. in Leocrat. p. 198. 203. ed. Reisk.

6) Similiter Choeroboscus in Bekkeri Anecdotis Graecis III p. 1383 Parthenii pentametro laudato addidit: *ἔστι δὲ ἐλεγεῖον.*

7) Cf. Schol. ad Hephaestion. p. 186. Draco Strat. p. 161. *τὸ ἐλεγεῖον σύγκειται ἐκ δύο δακτυλικῶν πενθημιμερῶν.* Schol. in Dionysii Gramm. Bekkeri Anecd. II p. 749, 27. *ἐλεγεῖον ἔμμετρός ἐστι στίχος, ἐλλείπων ἑνὶ ποδὶ τοῦ ἡρωικοῦ στίχου, εἰς δύο πενθημιμερεῖς τεμνόμενος.* cf. p. 760, 16. I. V. Franckii Callin. p. 53 sqq. qui tamen falsus est in eo quod *ἐλεγεῖον* non nisi de disticho usurpatum esse statuit.

Scholiasta ad Theocriti idyll. 8, 31. *τὸ δὲ μέτρον ἡρωικὸν καὶ ἡρωελεγεῖον*, quod spectat ad disticha inde a versu 33 bucolico carmini inserta.

Quoniam vero vix ab antiquioribus poetis adhibiti sunt pentametri continui, usu venit ut *ἐλεγεῖον* imprimis ad distichum (quod ab Æliano V. H. I, 17 sine ellipsi nuncupatur *δίστιχον ἐλεγεῖον*), *ἐλεγεῖα* ad disticha sive versus impariter iunctos referrentur. Quem quidem usum, ab Herodoti dictione alienum, Thucydidis ætate iam valuisse docet idem libro II c. 132, ubi Simonidis distichum a Pausania tripodi Delphico inscriptum appellatur *ἐλεγεῖον*. Deinde apud Platonem Hipparch. p. 228 D. Hipparchus ipse dicitur *τῆς σοφίης τῆς αὐτοῦ, ἥν τ᾽ ἔμαθε καὶ ἣν αὐτὸς ἐξεῦρεν, ἐκλεξάμενος ἃ ἡγεῖτο σοφώτατα εἶναι, ταῦτα αὐτὸς ἐντείνας εἰς ἐλεγεῖον*. Similiter plurali numero idem Plato Civit. II p. 368 A. *τὴν ἀρχὴν τῶν ἐλεγείων* (cf. Menon. p. 96 D.), Lycurgus in Leocrat. p. 212. *τῶν [Τυρταίου] ἐλεγείων*, Demosthenes de falsa legatione p. 421. *τὰ τοῦ Σόλωνος ἐλεγεῖα*.

Alterum vocabulum est *ἐλεγεία*, quod eodem iure quo *ἐλεγεῖον* primitus adiectivam vim præ se tulisse videtur intellecto substantivo quale est *ᾠδή* (quemadmodum Solo elegiam quæ *Σαλαμίς* erat inscripta ipse notavit *κόσμον ἐπέων ᾠδήν*) vel *ποίησις* (quod saltem nomen apud Strabonem VIII, 4, 10 vulgo præfigitur *ἐλεγείᾳ*), quare *ἐλεγεία* est carmen distichis inclusum: *ἰστέον δὲ ὅτι ἐλεγεῖον ἐλεγείας διαφέρει· ἐλεγεῖον γάρ ἐστιν ὅταν εἷς στίχος ὑπάρχῃ καὶ πεντάμετρος, ἐλεγεία δὲ ὅταν ὅλον τὸ ποίημα ἀμοιβαῖα ἔχῃ τὰ μέτρα, ἑξάμετρον καὶ πεντάμετρον.*[8]) Accedit constans scriptorum consuetudo, Strabonis XIII p. 604 Callinum *τὸν τῆς ἐλεγείας ποιητὴν* appellantis, Plutarchi Solon. c. 8. de Solone referentis: *ἐν ᾠδῇ διεξῆλθε τὴν ἐλεγείαν [Σαλαμῖνα]*, Consolat. ad Apollon. c. 9 de Antimacho: *ἐποίησε τὴν ἐλεγείαν τὴν καλουμένην Λύδην*, Cimon. c. 4 de Melanthio: *πρὸς τὸν Κίμωνα παίζων δι᾽ ἐλεγείας*, aliorum quorum locos singulatim recensere longum est.[9])

Quid multa? *Ἐλεγεῖον* est distichum ex hexametro et pentametro coniunctum, *ἐλεγεία* integrum carmen distichis scriptum; igitur *ἐλεγεῖα* sunt disticha, *ἐλεγεῖαι* carmina elegiaca, qualia etiam *εἰδύλλια*

[8]) Schol. in Dionysii Gramm. Bekkeri Anecd. Graec. II p. 750, 26. cf. Theodosii Gramm. p. 59.

[9]) Sunt tamen qui Hephaestionem testem citantes *ἐλεγείαν* idem valere hariolentur quod *ἐλεγεῖον* (distichum). Ille enim Enchirid. p. 92. *τὸ μὲν δεύτερον* [sc. *μέρος τοῦ δακτυλικοῦ πενθημιμεροῦς*] *ἀεὶ διπλασιαζόμενον τὴν ἐλεγείαν ποιεῖ·* ubi tamen, quum idem Hephaestio paullo ante vera forma *ἐλεγεῖον* usus sit, eadem reponenda est, suadente insuper Scholiasta ad p. 93. *ἐὰν δὲ τὸ δεύτερον μέρος τοῦ ἐλεγείου — διπλασιάσῃ τις ποιεῖ ἐλεγεῖον.* Eadem medicina adhibenda est eidem Hephaestioni p. 8 et Proclo in Photii Bibl. p. 319 ed. Bekker. et Etymologico M. p. 327, 48. *τὴν δὲ ἐλεγείαν συγκεῖσθαι μὲν ἐξ ἡρῴου καὶ πενταμέτρου στίχου.* Quanquam fieri potuit ut ab ipsis epitomatoribus, non primum ab eorum librariis *ἐλεγεία* temere substitueretur genuinae formae *ἐλεγεῖον*, illis quidem ad infima Graecitatis tempora referendis.

sive *eclogæ* vocantur. Huic normæ primo aspectu adversari videntur ii scriptorum loci, quibus singulare *ἐλεγεῖον* etiam de duobus vel pluribus distichis reperitur, et primum quidem Strabonis XIIII p. 693. *Ἤδη οὖν πάρεστι σκοπεῖν τὴν ῥαθυμίαν τοῦ ποιήσαντος τὸ ἐλεγεῖον τοῦτο, οὗ ἡ ἀρχή·* [10])

Ἱραὶ τῷ Φοίβῳ, πολλὸν διὰ κῦμα θέουσαι
ἤλθομεν αἱ ταχιναὶ τόξα φυγεῖν ἔλαφοι.

Vbi haud dubie *ἐλεγεῖον* de pluribus distichis intelligendum, admisso videlicet tropo illo rhetorico, quo singularis interdum pro plurali, pars pro toto sumitur, quemadmodum hodieque nostri homines *versum* dicunt pro integra carminis stropha. Hinc patet cur epigramma elegiacum, sive ex uno sive ex pluribus distichis compositum, imprimis singulari numero appellatum sit *ἐλεγεῖον*, quemadmodum a Theopompo in Scholiis ad Pindarum p. 275 ed. Bœckh. *εἶναι δὲ καὶ νῦν ἀναγεγραμμένον ἐλεγεῖον εἰσιόντι εἰς τὸν ναὸν τῆς ἀριστερᾶς χειρός·*

Αἵδ' ὑπὲρ Ἑλλάνων τε καὶ ἀγχεμάχων πολιητᾶν
ἔστασαν εὐχόμεναι Κύπριδι δαιμονίᾳ·
οὐ γὰρ τοξοφόροισιν ἐβούλετο δῖ' Ἀφροδίτα
Μήδοις Ἑλλάνων ἀκρόπολιν δόμεναι.

Velut hoc loco et præterea apud Dionysium Hal. A. R. I, 49. apud Diodorum XI, 14. apud Plutarchum Themist. c. 8. apud Pausaniam V, 22, 2. 25, 6. de duobus, ita de tribus distichis epigramma conficientibus nomen *ἐλεγεῖον* admittitur apud eundem Pausaniam X, 12, 5 et Pseudoplutarchum vita Homeri c. 4. Quod quum tritum iam esset, usus inferioris ætatis paullatim eo deflexit ut quodcunque epigramma promiscue appellaretur *ἐλεγεῖον*, quemadmodum Dio Chrysostomus Vol. I p. 185 elogium duobus hexametris conceptum, Pseudoherodotus de vita Homeri c. 56 hexametros Homeri epitaphio inscriptos sine ulla hæsitatione *ἐλεγεῖον* nuncuparunt: ad quem quidem monstrosum pæne abusum respicere videtur Ioannes Tzetzes ad Exegesin in Iliad. p. 150 ed. Herm. *ἐλεγειογράφοι δὲ οἱ τὰ ἐν τάφοις γράφοντες ἐπιγράμματα, κἂν ὦσι μέτρῳ ἑτέρῳ κεχρημένοι.* Sic hunc locum lacunis misere laceratum feliciter restituit I. V. Franckius Callin. p. 52.

Quæ quum ita sint, rursus excipiendus est tenor quæstionis paullulum interruptus, unde nimirum derivetur vocabulum *ἐλεγεῖον*. Iam primum Herodianus Partitionum p. 50 ed. Boissonad. *Ἔλεγος*, inquit, *ὁ θρῆνος, ὅθεν καὶ ἐλεγεῖον μέτρον θρηνητικόν.* Deinde Draco Stratonicensis p. 161, 27. *Τὸ ἐλεγεῖον μέτρον παρωνόμασται ἀπὸ τοῦ ἐλέγου*, quod et ipsum Scholiasta ad Aristophanis Aves 217 ad exclamandi formulam *ἒ ἒ* verbumque *λέγειν* referendum esse docet: *Τοῖς σοῖς*

[10]) Franckius quidem Callin. p. 57 verba *οὗ ἡ ἀρχή* ex glossemate profecta esse statuit, at mehercule sine iusta ratione.

ἐλέγοις ἀντὶ τοῦ τοῖς θρήνοις. εἴρηται δὲ ἀπὸ τοῦ ἒ ἒ λέγειν. [11]) Hæc autem ratio abhorrere videtur ab lege etymologica aliorum a verbo λέγειν deductorum vocabulorum, ἀνάλογος, ἀπόλογος, βαρύλογος, ἔκλογος, ἐπίλογος, ἡδύλογος, κατάλογος, πρόλογος, φιλόλογος κ.τ.λ. ita ut ἔλογος potius quam ἔλεγος ex ἒ ἒ λέγειν descendere debuerit. Quam quidem sententiam a me olim expositam nuper refutare conatus est Fridericus Osannus in Symbolis ad historiam Græcarum Latinarumque litterarum I p. 12. mirum in modum revocans ad compositum ἰαμβέλεγος, quasi id ortum esset ex verbo λέγειν ac non potius ex ipsa voce ἔλεγος multis haud dubie sæculis ante Hephæstionis illud ἰαμβέλεγος formata. Verissime autem perspexerunt Welckerus in Museo Rhenano IIII p. 428 sq. et G. Hermannus in Zimmermanni diario philologico a. 1836 p. 531 aliam esse analogiam vocabulorum, in quibus potestas et significatio verbi spectaretur, aliam eorum quæ nihil nisi vocem dici solitam imitarentur: «Atqui lugendi formula est ἒ ἒ λέγε, ex eaque et origo carminis elegiaci, quod versu hexametro ac pentametro constat, et appellatio explicari potest. Vix enim dubitandum videtur quin antiquissimi illius lugubris carminis ea ratio fuerit ut pentametrorum posterior pars hæc esset: ἒ ἒ λέγ', ἒ ἒ λέγε. Illi igitur versus recte dicti sunt ἔλεγοι.» Ita summus Hermannus. Iam vero vocabulum ἔλεγος ὀνοματοποιητικῶς sic formatum esse videtur, ut exclamandi formulæ ἒ λεγ' immutatæ adiungeretur terminatio nominativi qui desinit in ος, quemadmodum ex similibus formulis αἶ Λίνον, οἶ τὸν Λίνον, Ὑμέναιε, ἰὴ ἔλε, ἰὴ Παιῆον, ἰὼ Βάκχε, Βάκχε Βάκχε descenderunt termini technici Αἴλινος, Οἰτόλινος, Ὑμέναιος, Ἰήλεμος, Ἰηπαιήων, Ἰόβακχος, Βακχέβακχος κ. τ. λ.

Et quoniam lugubris exclamatio ἒ ἒ idem fere valet et posteriori saltem ætate idem quoque sonuit quod αἶ αἶ, huc spectat etiam Theodosii ratio p. 59 ἐλεγεῖον vel potius ἔλεγον ab αἶ αἶ repetentis: εἴρηται δὲ τὸ ἐλεγεῖον ἀπὸ τοῦ αἶ αἶ καὶ ἐπαινεῖν ἐπιταφίους τοὺς τεθνηκότας.[12]) Hæc autem explicatio aliis grammaticis ansam præbuisse videtur ad aliam eamque haud dubie falsam vocis ἔλεγος etymologiam, quam derivarent ab εὖ λέγειν, ut Orioni Thebano p. 58, 7. Ἔλεγος ὁ θρῆνος διὰ τὸ δι' αὐτοῦ τοῦ θρήνου εὖ λέγειν τοὺς κατοιχομένους.[13]) Singularis deinde Draconis p. 161 sq. et Etymologi M. p. 326, 55 hariolatio est ἔλεγον ex vocabulis ἔλεος et γόος compositum esse referentium: Τὸ ἐλεγεῖον μέτρον παρωνόμασται ἀπὸ τοῦ ἐλέγου, ὃ σημαίνει

[11]) Hinc pendent Suidas v. Ἔλεγος Vol. I p. 175. Eustathius ad Odyss. p. 1673. Schol. ad Dionysii Gramm. in Bekkeri Anecd. II p. 750, 18. cf. Santen. ad Terentianum Maur. p. 305.

[12]) Verba καὶ ἐπαινεῖν κτλ. explicandi caussa adiunguntur exclamationi αἶ αἶ, ἐπιταφίους autem per attractionem positum pro ἐπὶ τοῦ τάφου. Quam ob rem Caesar l. l. p. 26 Theodosii locum non debebat pro corrupto habere.

[13]) Cf. Etymolog. Gud. p. 180, 5. 15. 20. Bekkeri Anecd. Graec. II p. 750, 12.

παρ' Ἀττικοῖς[14]) τὸν θρῆνον, ἀπὸ τοῦ ἐλέου καὶ γόου παραγομένου. Neque maiorem veritatis speciem præ se ferunt eorum grammaticorum commenta qui descendunt ad verba ἐλεγείνειν vel potius ἐλεγαίνειν (Suidas Vol. II p. 175, 1. Etymolog. M. p. 327, 6.) et ad ἐπιλέγειν, ὅτι ἐπιλέγεται τῷ ἑξαμέτρῳ τὸ πεντάμετρον (Etymolog. M. p. 326, 55). Improbandus est etiam Scholiasta ad Dionysii Gramm. in Bekkeri Anecd. II p. 750, 10. 21. cui ἐλεγεῖον idem esse videtur atque ἐλεεῖον, τοῦ γ ἐκθλιβομένου, παρὰ τὸ ἐλεεῖν τὸν τετελευτηκότα. Id quod Bœckhium induxisse videtur ut teste Vlricio (Hist. poesis Græcæ Vol. II p. 178) vocabulum ἔλεγος repeteret a voce ἔλεος, illud tamen non Græce sed Lydice formatum.

Vtut est, ἔλεγον idem valere atque θρῆνον, de hac quidem interpretatione omnibus constat, eaque approbatur insuper ab Apollonio Rhodio Argonaut. II, 782 Priolan a Mysis occisum esse narrante, ὅντινα λαὸς οἰκτίστοις ἐλέγοισιν ὀδύρεται ἐξέτι κείνου. Et quanquam θρῆνος apud Homerum (Iliad. XXIIII, 721. Hymn. 19, 18.) iam reperitur, ἔλεγος tamen ubique illius ope illustratur: unde colligere licet vocabulum θρῆνος ad genus, ἔλεγος autem ad speciem quandam lugubrium cantuum esse referendum, ita ut ἔλεγος vox rarior in doctiorum potius familiaritatem sese insinuasse, illud vero longa et communi hominum consuetudine inde ab antiquissimis temporibus tritum a tironum quoque intelligentia parum abhorruisse videatur. Hæc coniectura confirmatur auctoritate Procli Chrestomath. c. 6. Τὸ γὰρ θρῆνος ἔλεγον ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ καὶ τοὺς τετελευτηκότας δι' αὐτοῦ εὐλόγουν· licet vix crediderim ἔλεγον vetustiorem vocem esse quam θρῆνον, quandoquidem θρῆνον (Germanice *Thræne*) ad unam radicem respicere certum est, ἔλεγον vero artificiosius compositum esse Welckeri Hermannique rationes pervincunt. Exquisitiorem vocem primus in theatrum et notitiam omnium tulisse censendus est Euripides Helen. 184 sq. ἔνθεν οἰκτρὸν ἀνεβόασεν, ὅμαδον ἔκλυον, ἄλυρον ἔλεγον. i. e. *lugubrem modum a lyra alienum*, propterea quod ἔλεγος, ut mox demonstrabimus, primitus fuit νόμος αὐλῳδικός. Idem Iphig. Taur. 142 sqq. δυσθρηνήτοις ὡς θρήνοις ἔγκειμαι τᾶς οὐκ εὐμούσου μολπᾶς ἀλύροις ἐλέγοις ἒ ἔ, ubi ipsa hæc exclamandi formula ad originem vocis ἔλεγος alludit. Ibidem v. 1060. ὄρνις, ἃ παρὰ τὰς πετρίνας πόντου δειράδας ἀλκύων ἔλεγον οἶτον ἀείδεις. Οἶτος appositionis lege adiunctum est substantivo ἔλεγος, unde rursus apparet eius vim tunc temporis vulgo fuisse paullo obscuriorem. Troad. 119. ἐπὶ τοὺς αἰεὶ δακρύων ἐλέγους. Accedit Aristophanes Avium 209 sqq. upupam in scenam producens, quæ dormientem lusciniam hacce suavissima cantilena alloquitur:

[14]) Dixit παρ' Ἀττικοῖς, respiciens videlicet ad Aristophanis Euripidisque locos infra laudandos. Itaque non opus erat longa eaque contorta Franckii expositione, qua Callin. p. 46 sqq. ostendere conatus est ἔλεγον non apud Graecos omnino, sed apud Atticos demum significasse lugubre carmen.

Ἄγε σύννομέ μοι, παῦσαι μὲν ὕπνου,
λῦσον δὲ νόμους ἱερῶν ὕμνων,
οὓς διὰ θείου στόματος θρηνεῖς,
τὸν ἐμὸν καὶ σὸν πολύδακρυν Ἴτυν
ἐλελιζομένη διεροῖς μέλεσιν
γένυος ξουθῆς. καθαρὰ χωρεῖ
διὰ φυλλοκόμου σμίλακος ἠχὼ
πρὸς Διὸς ἕδρας, ἵν' ὁ χρυσοκόμας
Φοῖβος ἀκούων τοῖς σοῖς ἐλέγοις
ἀντιψάλλων ἐλεφαντόδετον
φόρμιγγα θεῶν ἵστησι χορούς,
διὰ δ' ἀθανάτων στομάτων χωρεῖ
ξύμφωνος ὁμοῦ
θεία μακάρων ὀλολυγή.

Apertum est flebilem lusciniæ cantum comparari cum *ἐλέγοις*, in quibus lugubre quid inesse et natura rerum quemlibet docet [15]), et ipsum verbum *θρηνεῖν* luce clarius ostendit. Quum autem lusciniam sonos tantum edere compertum sit, non carmina qualia sunt *ἐλεγεῖα*, et præterea upupa Aristophanea lusciniam excitet ut *νόμους* (i. e. *modos*) *ἱερῶν ὕμνων* effundat divinoque ore flebiliter cantet, non *ὕμνους* (*carmina*) ipsos, hoc ante omnia tenendum est, *ἐλέγους* pertinere ad musicos modos, *ἐλεγεῖα* atque *ἐλεγείας* ad carmina metro quodam (h. e. *distichis*) inclusa. Et illud quidem egregie confirmat Plutarchus de Musica c. 4. *Οἱ δὲ νόμοι οἱ κατὰ τούτους* [*Κλονᾶν καὶ Πολύμνηστον τὸν Κολοφώνιον*] *αὐλῳδικοὶ ἦσαν ἀπόθετος, ἔλεγοι, κωμάρχιος*, i. e. *ἔλεγοι* erant modi ad tibiam cantati iique haud dubie *flebiles*, quales etiam ab Horatio Od. II, 9, 9 appellantur. Sequitur *ἐλεγεῖα* atque *ἐλεγείας* primitus fuisse carmina ad aulœdicos modos qui *ἔλεγοι* vocabantur accommodata. Eaque quam probabilis sit argumentatio docet *ἡ τῶν Παναθηναίων γραφὴ ἡ περὶ τοῦ μουσικοῦ ἀγῶνος* apud eundem Plutarchum de Musica c. 8 ita referentem: *Ἐν ἀρχῇ γὰρ ἐλεγεῖα μεμελοποιημένα οἱ αὐλῳδοὶ ᾖδον.*

Et re vera quemadmodum cithara inde ab antiquissimis temporibus epicam poesin comitata esse narratur, ita elegorum harmonia sibi indulsit tibiarum sonos, in quibus, sicut in lugubri lusciniarum cantu, triste quid inesse Didymus iam observavit in Schol. ad Aristophanis Avium v. 217. *τοῖς σοῖς ἐλέγοις — Δίδυμος δέ φησιν ὅτι οἱ πρὸς αὐλὸν ᾀδόμενοι θρῆνοι· τὸν γὰρ αὐλὸν*

[15]) Explicat etiam Homerus Odyss. XVIIII, 521. Ἀηδών,
ἥτε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνήν,
παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον κ.τ.λ. — Hymn. 19, 17.
Ὄρνις ἥ τ' ἔαρος πολυανθέος ἐν πετάλοισιν
θρῆνον ἐπιπροχέουσα χέει μελίγηρυν ἀοιδήν. cf. Virgilii Georg. IIII, 511 sqq.

πένθιμον ὑπαυλῆσθαι. Quibus verbis addit Suidas Vol. I p. 175, 9. *ἢ ὅτι πρὸς αὐλὸν ᾔδοντο οἱ θρῆνοι, τουτέστιν οἱ ἔλεγοι.* Vnde pendet etiam Eustathius ad Iliad. p. 1372, 27. *ἦσαν γὰρ καὶ ᾠδαὶ θρηνητήριοι, ὁποῖα ὕστερον καὶ τὰ λεγόμενα μέλη Καρικὰ καὶ οἱ Ἑλληνικοὶ δὲ ἔλεγοι, ὅ ἐστι θρῆνοι, οἳ μετ' αὐλοῦ φασὶν ᾔδοντο· πένθιμος γὰρ ἦν τὸ πρῶτον φασὶν ὁ αὐλός.* Quum autem raro tibiæ audirentur assæ, quam *ψιλὴν αὔλησιν* appellabant, [16]) facile tibi persuadebis, cur in ea quam supra laudavimus Panathenæorum inscriptione memorentur *ἐλεγεῖα μεμελοποιημένα*, non *ἔλεγοι μεμελοποιημένοι.* Cogitandum est enim de carminibus elegiacis quæ tibiis accinentibus publice cantabantur. Atqui iam antiquitus vocabulum *ἔλεγος*, quod proprie de harmonia intelligebatur, translatum est ad carmina secundum musicos modos qui *ἔλεγοι* vocabantur cantata, siquidem germana atque integra est inscriptio in tripode quem Echembrotus Olympiade 48 aulœdiæ Delphicæ victor Herculi dedicasse narratur a Pausania X, 7, 3. *Τῆς δὲ τεσσαρακοστῆς Ὀλυμπιάδος καὶ ὀγδόης — ἔτει τρίτῳ ἆθλα ἔθεσαν οἱ Ἀμφικτύονες κιθαρῳδίας μὲν καθὰ καὶ ἐξ ἀρχῆς, προσέθεσαν δὲ καὶ αὐλῳδίας ἀγώνισμα καὶ αὐλῶν· ἀνηγορεύθησαν δὲ νικῶντες Κεφαλήν τε Μελάμπους κιθαρῳδίᾳ καὶ αὐλῳδὸς Ἀρκὰς Ἐχέμβροτος, Σακάδας δὲ Ἀργεῖος ἐπὶ τοῖς αὐλοῖς. — δευτέρᾳ δὲ Πυθιάδι — αὐλῳδίαν κατέλυσαν καταγνόντες οὐκ εἶναι τὸ ἄκουσμα εὔφημον· ἡ γὰρ αὐλῳδία μέλη τε ἦν αὐλῶν τὰ σκυθρωπότατα, καὶ ἐλεγεῖα καὶ θρῆνοι προσᾳδόμενα τοῖς αὐλοῖς. μαρτυρεῖ δέ μοι καὶ τοῦ Ἐχεμβρότου τὸ ἀνάθημα, τρίπους χαλκοῦς ἀνατεθεὶς τῷ Ἡρακλεῖ τῷ ἐν Θήβαις· ἐπίγραμμα δὲ ὁ τρίπους εἶχεν·*

Ἐχέμβροτος Ἀρκὰς ἔθηκε τῷ Ἡρακλεῖ
νικήσας τόδ' ἄγαλμ' Ἀμφικτυόνων ἐν ἀέθλοις,
Ἕλλησιν δ' ᾄδων μέλεα καὶ ἐλέγους.

Bœttigerus quidem (Opusc. Germ. I p. 35. cf. Franckii Callin. p. 30 & 123 sq.) huius inscriptionis fidem suspectam reddere conatus est propterea quod pedestri oratione esset concepta. Profecto initium inscriptionis *ἄμετρον*, quam ob caussam F. Thierschius in Actis Monacensibus III p. 586 prioris distichi partem tantum superesse hancce:

Ἐχέμβροτος Ἀρκὰς ἔθηκεν
Ἡρακλεῖ —

atque aliquid (Thebani nimirum Herculis mentionem) excidisse arbitratur. At ne hac quidem medicina opus est. Nam Bœckhius in Corpore Inscriptionum Græc. Vol. I p. 885 demonstravit titulos tales e prosa oratione transire in versum et plures etiam voces extra versum poni, non tantum unum et alterum. Itaque tripus ille ab Echembroto dedicatus verba *Ἐχέμβροτος — Ἡρακλεῖ* extra versum posita habuisse censendus est. Denique ne offendant verba *μέλεα καὶ ἐλέγους* alteram pentametri partem occupantia in animum in-

[16]) Vid. Bœckh. de Metris Pindari p. 258.

ducas velim inscriptionis auctorem accentus potius quam iustæ quantitatis rationem habuisse in proferendo pede dactylico *μέλεα*. vocem *ἔλεγος* autem primitus per digamma esse pronuntiatam, quemadmodum hodieque apud Germanos obtinuit exclamandi formula *wé* sive putide scriptum *weh.* [17]) Et hæc quidem hactenus.

Ipse autem Pausanias rectissime interpretatus esse videtur eos quos inscriptio in pentametri formam redacta exhibet *ἐλέγους* re vera fuisse *ἐλεγεῖα προςᾳδόμενα τοῖς αὐλοῖς*, quemadmodum Sacadas Argivus, Pausania auctore victor *ἐπὶ τοῖς αὐλοῖς*, a Plutarcho de Musica c. 8 denotatur *ποιητὴς ἐλεγείων μεμελοποιημένων*. Quare *μέλεα καὶ ἔλεγοι* sunt *μέλεα* sive carmina ad *νόμους* qui *ἔλεγοι* vocabantur accommodata, sive, ut paucis fungamur, *ἐλεγεῖα μεμελοποιημένα*. Eiusdemque Sacadæ nomum aulœdicum fuisse *τριμελῆ*, cuius prima stropha erat Doria, altera Phrygia, tertia Lydia, testis est Plutarchus de Musica c. 8. *τόνων γοῦν τριῶν ὄντων κατὰ Πολύμνηστον καὶ Σακάδαν, τοῦ τε Δωρίου καὶ Φρυγίου καὶ Λυδίου, ἐν ἑκάστῳ τῶν εἰρημένων τόνων στροφὰν ποιήσαντά φασι τὸν Σακάδαν διδάξαι ᾄδειν τὸν χορόν, Δωριστὶ μὲν τὴν πρώτην, Φρυγιστὶ δὲ τὴν δευτέραν, Λυδιστὶ δὲ τὴν τρίτην· καλεῖσθαι δὲ τριμελῆ* [18]) *τὸν νόμον τοῦτον διὰ τὴν μεταβολήν*. Sacadæ autem sectam in elegiis præcipue versatam esse memoriæ proditur ibidem c. 9. *ἦσαν δὲ οἱ περὶ Σακάδαν ποιηταὶ ἐλεγείων.*

Cantum lugubrem modosque flebiles, licet rudes adhuc parumque excultos, remotissima iam ætate apud Græcos exstitisse quis tandem negare ausit? quandoquidem natura ipsa cogit ad exprimendos dolores. Et sicut fetus utero matris inclusus formæ quidem pulcritudinem corporisque proceritatem habet nullam, multa tamen et venustatis et dignitatis omniumque virtutum in se continet germina, utque adolescentium et corporis et mentis facultates paullatim excoluntur, non festinantur adhibita furca, ita communia animorum artiumque incrementa eidem naturæ convenienter procedunt crescuntque occulto velut arbor ævo. Quare apud Homerum iam deprehendes haud obscura funebris poesis indicia. In Iliadis enim libro XXIIII, 720 sqq. postquam Hectorem ab Achille interfectum Priamoque redditum in lecto funesto posuere, cantores arcessunt qui nenias præcinerent et lugubrem cantum flebiliter effunderent:

τὸν μὲν [Ἕκτορος νέκυν] ἔπειτα
τρητοῖς ἐν λεχέεσσι θέσαν, παρὰ δ' εἶσαν ἀοιδοὺς
θρήνων ἐξάρχους, οἵτε στονόεσσαν ἀοιδὴν
οἱ μὲν ἄρ' ἐθρήνεον, ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες.
τῇσιν δ' Ἀνδρομάχη λευκώλενος ἦρχε γόοιο
Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο κάρη μετὰ χερσὶν ἔχουσα.

17) Gothice *vái* (quod respondet Graecae particulae *αἴ* i. q. *Fαί*), Latine *vae*. cf. I. Grimmii Gramm. Theod. III p. 292.

18) Ita scribendum esse collato eiusdem libri capite 4 docuit Bœckhius de Metris Pindari p. 251.

Sequitur ipsius Andromachæ lamentabile carmen eoque finito ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες. Andromacham excipit Hecubæ querimonia, qua quidem effusa γόον δ' ἀλίαστον ὄρινεν. Tertia denique Helena ἐξῆρχε γόοιο, — ἐπὶ δ' ἔστενε δῆμος ἀπείρων. Vides cantores præcinuisse eosque excepisse mulierum gemitus, quibus effusis singulæ mulieres cantum lugubrem ordiebantur, iisque flebiliter respondebat aut ceterarum mulierum chorus aut populus universus: id quod animadvertit etiam Schol. B. ἐξῆρχον μὲν ἐκεῖνοι τῶν λόγων, ὡς ἔοικε, καὶ διεδέχοντο αὐτοὺς αἱ γυναῖκες ἀντιφωνοῦσαι. Alternis igitur vicibus modo nenias modo clamorem lugubrem edebant, qualem apud poetas tragicos fuisse ἒ ἔ, ἒ ἔ, vel αἰαῖ, αἰαῖ constat inter eruditos.

Iam maxime probabilis est Welckeri coniectura,[19]) antiquissima carmina lugubria ita fuisse comparata ut in extremo quoque carmine inesset formula exhortativa ἒ λέγε, unde profectum epiphonema

ἒ λέγε, ἒ λέγε ἔ,

vel potius Hermanno auctore

ἒ ἒ λέγ', ἒ ἒ λέγε,

ipsa illa quam grammatici dicunt penthemimeris, quæ quidem duplicata primam ansam dedisse videtur pentametro elegiaco inveniendo. Formula autem illi simillima reperitur in Æschyli Agamemnone 119.

αἴλινον, αἴλινον εἰπέ,

unde propter duplicatum αἴλινον (cui accedit veterum grammaticorum etymon ab ἒ ἒ λέγειν descendentium) apparet veriorem esse Hermanni quam Welckeri rationem formulæ elegiacæ restituendæ. Atque ipsum illum penthemimeris dactylicæ numerum natura sua flebilem esse et tristem induxisse colorem quis est qui non sua sponte senserit atque intellexerit? Eandemque fere vim in duplicata quoque penthemimeri sive in pentametro elegiaco inesse egregie iam animadvertit Didymus in libro περὶ Ποιητῶν apud Orionem Thebanum p. 58, 10. πεντάμετρον τῷ ἡρωικῷ συνῆπτον οὐχ ὁμοδρομοῦντα τῇ τοῦ προτέρου [sc. *hexametri*] δυνάμει, ἀλλ' οἷον συνεκπνέοντα καὶ συναποσβεννύμενον[20]) ταῖς τοῦ τελευτήσαντος τύχαις. Accedit eiusdem Didymi testimonium in Etymo-

[19]) Museo Rhen. IIII p. 420. „Sehr natürlich denkt man sich zum Schlusse der Klagerede den Uebergang ἒ λέγε. Diese Aufforderung aber muste fast nothwendig wiederholt werden, und da der Aufruf ἒ λέγε ganz zweckmæſsig und wahrscheinlich in den Laut ἔ zurückgieng und darin lang aushaltend schloſs, wie io Hymen Hymenæe io, so ergibt sich zugleich auf diesem Wege wie von selbst die Formel der Vorsänger zwischen den Partieen des Lobgesangs und dem Klaggeschrei, die alsdann alle wiederholen und sich einander gegenseitig zusingen, das Epiphonem

ε̄ λέγε, ε̄ λέγε ε̄

als der mögliche Ursprung der Form des Pentameters. Das ἔ verlängert sich im Daktylus, wie in αἴλινον, wie bei Simonides [Fragm. 3, 1.] αἶ αἶ νοῦσε βαρεῖα und αἴ bei Bion, und behält die Kürze im Substantiv.“ — Cf. idem Welckerus de Cyclo epico p. 373 sq.

[20]) Ita scripsimus ex cod. Reg. referente Larchero. Etym. M. Vulg. Orion. συσβεννύμενον, Etym. Gud. p. 180, 11 (ubi idem legitur locus, sed male laceratus) συναπεσβεννύμενον.

logico Magno p. 327, 5. quo quidem auctore pentameter ἐπὶ μόνοις νεκροῖς πάλαι ᾔδετο πρὸς παραίνεσιν καὶ παραμυθίαν τῶν συγγενῶν καὶ φίλων τοῦ τεθνεῶτος. Atque Terentianus Maurus de Metris p. 2422.

Hos elegos dixere, solet quod clausula talis
tristibus, ut tradunt, aptior esse modis.

Postremo Isidorus Originum lib. I, 38, 14. *Elegiacus* [sc. versus] *autem dictus est, quod modulatio eiusdem carminis conveniat miseris.* Huc spectat etiam Ovidius Amorum III, 9, 3 sq. Tibulli obitum deplorans:

Flebilis indignos elegeïa solve capillos:
ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Idem Heroidum 15, 7 Sapphonem fingit Phaoni *alterna* (i. q. elegiaca) *carmina* mittentem, quum ipsa *lyricis* (i. q. melicis) *sit magis apta modis:*

Flendus amor meus est: elegeïa flebile carmen:
non facit ad lacrimas barbitos ulla meas.

Quibus versibus luce clarius significatur lugubre quoddam elegiarum argumentum.

Quæ quum ita sint, verissima est quam Horatius A. P. 75 sqq. pronuntiavit sententia:

Versibus impariter iunctis querimonia primum,
post etiam inclusa est voti sententia compos:
quis tamen exiguos elegos emiserit auctor
grammatici certant, et adhuc sub iudice lis est.

Versus impariter iunctos spectare ad imparem hexametri et pentametri mensuram non est quod accuratius demonstretur. Itaque Horatio iudice primum lugubria carmina distichis inclusa, deinde *voti sententia compos*, i. e. carmina amatoria, qualia imprimis fuere poetarum Alexandrinorum, Philetæ, Hermesianactis, Callimachi, quorum exemplar ad imitandum sibi proposuerunt poetæ elegiaci Latini, Tibullus, Propertius, Ovidius. Tum *exigui* [21]) *elegi* [22]) appellantur pentametri uno videlicet pede breviores hexametris. [23]) Neque re vera unquam ad liquidum perducetur quis primus invenerit pentametrum, quippe cuius numeri cum modis lugubribus qui ἔλεγοι vocabantur primitus coniuncti atque

[21]) Similiter Ovidius Amor I, 1, 19. levioribus numeris. II, 1, 21. elegos leves. II, 17. 22. iungitur herous cum breviore modo. III, 1, 66. longis versibus adde breves. Ep. ex Ponto IIII, 5, 1. breves elegi.

[22]) Notabis Græcorum posteriorum atque Romanorum abusum vocem ἔλεγος de metro usurpantium pro voce ἐλεγεῖον. Sic Callimachus fragm 121. ἐλέγοισι δ' ἐνιψήσασθε λιπώσας χεῖρας. Meleager 1, 36. εἰς δ' ἐλέγους εὔπορον ἀνθέμιον. Erycius Epigr. 11, 4. μυσαρῶν ἀπλυσίην ἐλέγων. Apollonidas Epigr. 8, 5. ἱλαροῖς ἐλέγοισιν. Horatius Od. I, 33, 2. Albi, ne doleas plus nimio memor immitis Glycerae neu miserabiles decantes elegos. Epist. II, 2, 91. Carmina compono, hic elegos. Propertius V, 1, 13. At tu finge elegos. Ovidius Fast. II, 125. Quid volui demens elegis imponere tantum ponderis? heroi res erat ista pedis. Tacitus Dial. 10. elegorum lascivias.

[23]) Vid. Santen. ad Terentianum Maur. p. 311 sq.

penitus in humana natura implicati pauliatim ad perfectiorem poesis et artis formam redacti esse videantur. Igitur velut hexametri ita etiam pentametri inventor apud Græcos statui potest nullus vel potius humanam effugit cognitionem atque intelligentiam. Quis enim primos animantium eosque legitimos atque rhythmicos motus oculis se unquam aspexisse iactaverit? Quis tandem humanæ mentis originem satis perlustravit intimosque eius recessus atque sinus penetravit? Quis quæso primos animi igniculos perlucentes aut occulta ingenii fulmina statim ab initio vibrantia vidit? Itaque quemadmodum vixere fortes ante Agamemnona, sic ante Homerum atque Callinum immensus cantorum numerus epicam et elegiacam poesin apud Græcos exercuisse censendus est: nam Proclo referente Chrestomath. c. 6 p. 319 ed. Bekker. *τὸ θρῆνος ἔλεγον ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ καὶ τοὺς τετελευτηκότας δι᾽ αὐτοῦ εὐλόγουν· οἱ μέντοι γε μεταγενέστεροι τοῖς ἐλεγείοις πρὸς διαφόρους ὑποθέσεις ἀπεχρήσαντο.* Hunc locum ex Didymi *περὶ Ποιητῶν* libro excerptum esse docet Orion Thebanus p. 58, 15. *οἱ δὲ ὕστερον πρὸς ἅπαντα διαφόρως.*[24]) *οὕτω Δίδυμος ἐν τῷ περὶ Ποιητῶν.* Ex eodem fonte manavit rivulus in Tzetzæ Prolegomena ad Lycophron. p. 257 deductus: *Ἐλεγειογράφων δὲ γνώρισμα τὸ πρὸς τοὺς τεθνηκότας οἴκτους συγγεγραφηκέναι καὶ ὀλοφύρσεις ἐν ἐλεγείῳ μέτρῳ κυρίως, καταχρηστικῶς δὲ καὶ ἕτερα.*[25]) Vnde patet eam fere veterum grammaticorum fuisse sententiam, metrum elegiacum proprie ad querimoniam tantum pertinuisse, per abusum vero ad alia quoque argumenta esse translatum. Optime igitur distinguitur inter antiquissimum elegiæ quod lugubre fuit argumentum atque latiorem eiusdem vocis apud posteriores poetas usum et significatum. Qui autem ante Callinum et Archilochum querelas distichis inclusisset ad nostram quidem ætatem delatus est nullus. Olim tamen fuisse poetas qui lugubres elegias condiderunt et Archilochi Simonidisque exempla demonstrant et Scholiasta ad Dionysium Thracem in Bekkeri Anecd. II p. 750, 5 prodidit: *Τούτῳ οὖν τῷ τρόπῳ* [sc. *metro elegiaco*] *πολλοὶ ποιηταί τινα γεγραφήκασιν ἅτινα ἐπικαλεῖται ἐπικήδεια· πρὸς γὰρ παραμυθίαν τῶν συγγενῶν τοῦ τετελευτηκότος, τῶν καλῶν τούτου μνημονεύοντες, καὶ τῶν συγγενῶν τούτου καὶ φίλων τῇ παραινέσει τὴν λύπην ἀνέστελλον.*

Itaque si quis poesis elegiacæ originem a Callini et Archilochi carminibus ducendam esse existimaverit, in medias ille quidem abripitur res instar Homeri, qui Iliadem ab ira Achillis, non ab ovo Ledæ auspicatus est. Quis autem hodie carminis elegiaci historiam ab ipso ovo repetere ausit? Et fac etiam pentametrum, qualem a Callini inde temporibus hexametro iunctum videmus, Homeri

24) Sic reponenda codicis scriptura *ἅπαντας διαφόρως.*

25) *καὶ ἕτερα* scribendum esse sana ratio docet, id quod Franckium quoque non fugit Callin. p. 17 sq. Libri fluctuant inter *ἑτέρῳ, ἐν ἑτέρῳ* et *ἑτέρως.* Praeterea singularem numerum *γνώρισμα* substituimus plurali *γνωρίσματα,* cuius extrema syllaba originem debere videtur articulo *τὸ* temere repetito.

iam ætate lugubribus carminibus adhibitum esse, quis tibi persuadebit easdem quoque utriusque versus alternas vices tunc temporis iam valuisse, ac non potius pentametrum post plures hexametros continuos versum fuisse intercalarem? Huic enim coniecturæ quodammodo favere videtur locus illc Homericus (Iliad. XXIIII, 721 sq.), ubi *θρήνων ἔξαρχοι στονόεσσαν ἀοιδὴν ἐθρήνεον, ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες*, ita ut *θρήνων ἔξαρχοι* versus continuos quales apud Homerum ipsum leguntur decantasse, mulieres autem *ἐπιστεναχόμεναι* flebiles quosdam modos sive rhythmos effudisse censendæ sint, quales paullatim ansam dedisse videntur ad conformandum pentametrum elegiacum. Sic Bionis *Ἐπιτάφιος Ἀδώνιδος* versus intercalares qui sunt:

αἰάζω τὸν Ἄδωνιν, ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις·
αἲ αἲ τὰν Κυθέρειαν, ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις·

ita admisit, ut cantum lugubrem pluribus versibus inclusum exciperent tanquam *ἀντιφωνοῦντες*. Quem usum imitatus est etiam Moschus eundem versum intercalarem

Ἄρχετε Σικελικαὶ τῶ πένθεος ἄρχετε Μοῖσαι

Bionis epitaphio quater decies inserens. Eodem fere modo antiquissimus ille cuius Homerus mentionem fecit comparatus fuisse videtur *θρῆνος*, ita ut versus ab Andromacha, ab Hecuba, ab Helena flebiliter effusos exciperet eiulatio mulierum et universi populi, quam licet antiquissimo tempore rudiorem atque solutioribus aut nullis legibus adstrictam si paullatim metro quodam inclusam et postremo ita formatam tibi finxeris:

ἒ ἒ λέγ', ἒ ἒ λέγε, ἒ ἒ λέγ', ἒ ἒ λέγε,

habebis incunabula elegiæ Græcorum atque ipsius pentametri elegiaci (*τοῦ ἒ ἒ λέγειν*), quem Didymus tam scite descripsit *οἷον συνεκλείοντα καὶ συναποσβεννύμενον ταῖς τοῦ τελευτήσαντος ψυχαῖς*. Vnde gradum paullulum referre licet, quandoquidem lugubre illud epiphonema initio vix aliam speciem præ se tulisse probabile est quam exclamandi formulam *ἒ ἒ ἒ* vel *αἶ αἶ* (a Simonide fragm. 5 in lugubri elegia adhibitam) vel *οἴ οἴ* iterum iterumque repetitam eamque sensim sensimque in hancce modum numerumque temperatam:

ἒ ἒ ἒ ἒ ἒ ἒ ἒ || ἒ ἒ ἒ ἒ ἒ ἒ ἒ
– ‿ ‿ – ‿ ‿ – || – ‿ ‿ – ‿ ‿ –

Huic divinationi firmius stabiliendæ signifer favet versus Aristophanis Equitum 10. ubi postquam Demosthenes Niciam incitavit ad Olympi aulœdicos eosque flebiles modos (de quibus paullo inferius disputabitur) imitandos, uterque una exclamare cœpit

μὺ μῦ μὺ μῦ μὺ μῦ μὺ μῦ μὺ μῦ μὺ μῦ

quæ quidem aperta ac perspicua est antiquissimorum threnorum parodia eaque ex elegiaco in iambicum rhythmum detorta, quemadmodum fuere qui pentametro trimetrum iambicum substituerent.[26])

[26]) Videsis quae annotavimus ad Critiae fragm. 3, 2.

Etiam Scholiasta in illam exclamandi formulam animadvertit: *τοῦτο ὁμοφωνοῦσιν ἀμφότεροι μύζοντες. τοῦτο δὲ ὡς θρηνητικόν*, quod et ipsum *ὡς θρηνητικόν* parodicam sive comicam significat rei perversionem.

Iam idem exclamandi particularum sonitus usque recurrens in caussa fuisse videtur ut Græcorum poetæ elegiaci in medio potissimum atque extremo versu pentametro [27]) admitterent verborum clausulas inter se consonantes, quibus utraque pentametri penthemimeris artiori etiam vinculo coniungeretur. Quæ sane res quum notatu dignissima sit ad indagandam originem homœoteleutorum (qualia hodie ab Italis vocantur *Rime*, a nostratibus *Reime*) inde a medio ævo in sacris Christianorum hymnis atque in versibus Leoninis obviorum, unde in gentium recentiorum, Germanorum, Britannorum, Italorum, Hispanorum, Gallorum aliorumque poesin translata sunt, operæ pretium esse videtur insigni exemplorum copia demonstrare hunc quoque morem a Græcis usque esse repetendum. [28]) Ecce **Callinus** 1, 13. *προγόνων — ἀθανάτων*. 1, 19. *ζώων — ἡμιθέων*. 1, 21. *πολλῶν — ἐών*. — **Archilochus** 4, 8. *αἱματόεν — ἀναστένομεν*. 11, 2. *κοίλων — κάδων*. — **Tyrtæus** 4, 5. *Ἰθωμαίων — ὀρέων*. 6, 4. *πάντων — ἀνιηρότατον*. 6, 22. *νέων — παλαιότερον*. 6, 28. *βελέων — ἔχων*. 7, 36. *μεγάλοις — χερμαδίοις*. 8, 2. *ἀρετῆς — παλαισμοσύνης*. 8, 26. *θώρηκος — ἐληλαμένος*. — **Mimnermus** 1, 2. *μοι — μέλοι*. 2, 4. *θεῶν — κακόν*. 5, 2. *θανάτου — ἀργαλέον*. 10, 6. *χρυσέῳ — θαλάμῳ*. 13, 2. *προτέρων — ἴδον*. **Solo**, 3, 6. *χροιῆς — ἀμειβομένης*. 4, 34. 3, 10. *κακόν — ἐρχόμενον*. 13, 2. *μακάρων — ἀθανάτων*. 13, 14. *κτεάνων — δημοσίων*. 13, 22. *ἐρατήν — ἡλικίην*. 18, 2. *ἀληθείης — ἐρχομένης*. 19, 4. *κακήν — δουλοσύνην*. — **Anacreon** 1, 4. *ἐρατῆς — εὐφροσύνης*. — **Xenophanes** 1, 2. *πλεκτοὺς — στεφάνους*. 1, 14. *μύθοις — λόγοις*. 1, 22. *Κενταύρων — προτέρων*. 1, 24. *προμηθίην — ἀγαθήν*. 5, 2. *τυραννίης. — στυγερῆς*. 6, 5. *ἔγνων — ἀΐων*. 7, 2. *ἐμήν — γῆν*. 8. *γηρέντος — ἀφαυρότερος*. — **Theognis** 2. *ἀρχόμενος — ἀποπαυόμενος*. 14. *θεά — μέγα*. 18. *ἀθανάτων — στομάτων*. 28. *ἀγαθῶν — ἔμαθον*. 40. *κακῆς — ἡμετέρης*. 62. *χρείης — μηδεμιῆς*. cf. 74. 78. 124. 132. 135. 136. *ἀγαθόν — κακόν*. 140. *χαλεπῆς — ἀμηχανίης*. cf. 180. 182. 324. 392. 394. 684. 752. 142. *σφέτερον — νόον*. 158. *πλουτεῖν — ἔχειν*. 162. *δοκέον — ἀγαθόν*. 174. *πολιοῦ — ἠπιάλου*. 176. *πετρέων — ἠλιβάτων*. 178. *δύναται — δέδεται*. 198. *αἰεὶ — τελέθει*. cf. 212. 216. 228. 244. *πολυκωκύτους — δόμους*. 248. *περῶν — ἀτρύγετον*. 250. *Μουσάων — ἰοστεφάνων*. 274. *νούσων — πονηρότατον*. 286. *ἀθανάτων — ἐθέλων*. 320. *κακοῖς — ἀγαθοῖς*. 338. *μεῖζον — θνησόμενον*. 390. *ἐξαπάτας — ἔριδας*. 396. *γνώμη — ἐμπεφύῃ*. 408. *γνώμης — ἔτυχες*. 424. *ἐξελθόν — κακόν*. 478. *νήφω — μεθύω*. 486. *κακόν — ἐφημέριον*. 490. *σπένδεις — ἔχεις*.

[27]) Rarius etiam in hexametro post caesuram penthemimerin, velut apud Callinum 2. *Κιμμερίων — ὀβριμοεργῶν*. Mimnermus 1, 7. *κακαί — μέριμναι*. 14. *ἄγων — ἵππων κ. τ. λ.* Omnino quam saepe homœoteleuta a veteribus admissa sint exposuit Lobeckius ad Sophoclis Aiac. 401. 726. cf. Paralipomena grammat. Graec. p. 53 sq.

[28]) Guilelmus Humboldtius *ὁ μακαρίτης*, elegantissimi iudicii vir, eam rem in Philetae editione p. 27 primum a me attrectatam maximi momenti esse scripsit ad rhythmum musicum atque extremarum syllabarum symphoniam ex historia ipsa explicandam.

490. μέτρον — νόον. 504. γνώμης — ταμίης. 596. παντός — κόρος. 598. σόν — νόον. 624. ἀρεταί — παλάμαι. 632. μεγάλως — ἀμπλακίαις. 634. ἀεὶ — τελέθει. 638. χαλεποί — ἀμφότεροι. 546. μεγάλη — ἀμηχανίη. 652. ἀνθρώπων — ἐπιστάμενον. 656. ἀλλότριον — ἐφημέριον. 764. Μήδων — πόλεμον. 774. Πέλοπος — χαιρόμενος. 778. κιθάρη — θαλίῃ. 794. ἐνδήμων — ἐών. 812. πάντων — ἀνιηρότατον. 814. τῶν — νόον. 818. παθεῖν — παθεῖν. 834. ἀθανάτων — μακάρων. 840. πίνειν — μεθύειν. 864. ἀλεκτρυόνων — ἐγειρομένων. 870. ἀνθρώπων — χαμαιγενέων. 886. κακοῦ — πολέμου. 892. ἀγαθὸν — αὐόπεδον. 908. μᾶλλον — βίον. 930. ὁμῶς — ἀγαθός. 932. ὁρᾷ — λειπόμενα. 940. προτέρην — ἔβην. 958. ἡμετέρους — δόμους. 986. ὁρμή — ὠκυτέρη. 988. πυροφόρον — πέδον. 990. ἀνθρώπων — βαρυνομένων. 1012. κεφαλῆς — ἀκροτάτης. 1028. χαλεπή — παλάμη. cf. 1030. 40. 44. 48. 76. 90. 1100. 20. 32. 56. 70. 94. 1202. 14. 16. 22. 42. 44. 50. 82. 84. 88. 96. 1308. 30. 34. 68. 70. 74. 80. — **Simonides** 2, 6. κενεοί — τάφοι 3, 6. ἱμερτὴν — ἡλικίην. 5, 4. κάλλιστον — πόνων. — **Io Chius** 1, 17. παίζειν — φρονεῖν. — **Euenus** 1, 2. λύπης — μανίης. 3, 6. ῥάστης — διδασκαλίης. 6, 2. χρηστῆς — ὀδύνης. — **Dionysius** 4, 2. ἀρχαῖον — φίλον. 4, 4. συμποσίου — λόγου. 5, 2. ταῦται — ἐρέται. — **Euripides** 2, 2. εὐναίαν — Ἑλέναν. — **Antimachus** 6. μεγάλων — κακῶν. — **Aristoteles** 2, 1. κλεινόν — δάπεδον. — **Crates.** 1, 7. ἄφενος — μαιόμενος. 1, 11. τρυφεραῖς — ὁσίαις. 4, 2. κλεινῆς — Σωφροσύνης. — **Philetas** 2, 2. δειλαίων — πραπίδων. 9, 2. κλήθρην — μακέλην. 13, 2. ὡραίων — ἐτέων. 14, 2. αὐτός — λευκόλοφος. 22, 2. Ἰακχαῖον — στέφανον. — **Hermesianax** 5, 6. μεγάλων — δονάκων 8. παντοίους — θεούς. 14. μαλακοῦ — βιότου. 18. κουφίων — λογίων. 20. γνωστὴ — Ἀίδῃ. 22. πάσης — ἱστορίης. 24. Ἠοίην — Ἀσκραϊκήν. 28. πάντων — μουσοπόλων. 30. πινυτῆς — Πηνελόπης. 34. ἰδίων — παθέων. 36. μαλακοῦ — πενταμέτρου. 42. Πακτωλοῦ — ποταμοῦ. 58. τραγικαῖς — χοροστασίαις. 64. νυκτερινάς — ὀδύνας. 74. μηλείοις — προγόνοις. 80. σκολιὴν — σοφίην. 84. δεινόν — ἡνίοχον. 92. κουφοτέρας — ἀνίας. — **Phanocles** 1, 14. γλαυκοῖς — ῥοθίοις. 16. λιγυρῆς — λύρης. 18. Ὀρφείην — κεφαλήν. 26. στυγεροῦ — φόνου. 28. κείνης — ἀμπλακίης. — **Alexander Ætolus** 1, 2. ἰθαγενέων — πατέρων. 22. Νύμφας — ἐγχωρίδας. 5, 2. ἀρχαίων — προγόνων. 8. ἀνθρώποι — κακοδαιμονίῃ. 4, 1. Ἀσκανίων — ῥοῶν. — **Callimachus Lavacr. Pallad.** 8. ἀδίκων — Γηγενέων. 12. χαλινοφάγων — στομάτων. 20. δίναν — διαφαινομέναν. 22. αὐτάν — κόμαν. 26. ἰδίας — φυταλιᾶς. 32. λιπαρὸν — πλόκαμον. 38. βουλευτόν — θάνατον. 50. φορβαίων — ὀρέων. 60. ἀρχαίων — Θεσπιέων. 62. ποταμῷ — Κουραλίῳ. 22. μεσαμεριναί — ἁσυχία. 86. τοιαῦται — φίλαι. 88. Ἀθαναίας — λαγόνας. 94. γοερῶν — ἀηδονίδων. 100. Κρόνιοι — νόμοι. 102. μισθῷ — μεγάλῳ. 112. ξυναί — ἑκαβολίαι. 138. κῶραι — μέλεται. **Fragm.** 11, 1. **ed. Bentl.** γέρων — ἐλαφρότερον. 11, 3. οἰκείην — θύρην. 105, 4. Δαναός — ἕδος. 106, 2. εὐόδμοις — στεφάνοις. 109, 2. ὀλίγῳ — κισσυβίῳ. 111, 1. μεγάλων — δωλύγιον. 148. ἀγαθοί — ἤίθεοι. 161. ἔχιδναῖον — δάκετον. 172. βύνῃ — ὑποχθονίῃ. 188. λιπαραί — ὀνοσφαγίαι. 259. Ἀμαντίνην — Ὠρικίην. 260. θαλασσαίων — νεπόδων. — **Parthenius** 5. ταύτην — πυρκαϊήν. 7. ἀποτηλιτῶν — Βεληδονίων.

Græcorum, imprimis Alexandrinorum exemplum sequuti sunt poetæ Latini Tibullus, Propertius, Ovidius, alii, quos innumeris locis eandem homœoteleutorum rationem singulari quodam studio et amore amplexos esse constat, a quibus versus Leonini originem duxisse videntur: unde eadem clausularum inter se consonantium harmonia in Germanorum quoque poesin invecta est ineunte fere sæculo nono.

Præterea sicut in recentiorum poesi iuxta legitimam symphoniam interdum cumulantur homœoteleuta, ita etiam apud Græcos in uno eodemque pentametro tres vel quattuor admittuntur clausulæ inter se met consonantes. Sic Tyrtæus 4, 5.

	φεῦγον Ἰθωμαίων ἐκ μεγάλων ὀρέων.
Solo 13, 2.	αἶσαν καὶ μακάρων θεῶν φρένας ἀθανάτων.
13, 4.	οὔθ' ἱερῶν κτεάνων οὔτε τι δημοσίων.
Xenophanes 1, 14.	εὐφήμοις μύθοις καὶ καθαροῖσι λόγοις.
Theognis 28.	Κύρν', ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν παῖς ἔτ' ἐὼν ἔμαθον.
Io Chius 1, 17.	πίνειν καὶ παίζειν καὶ τὰ δίκαια φρονεῖν.
Critias 2, 26.	ἔσθειν καὶ πίνειν σύμμετρα πρὸς τὸ φρονεῖν.
Dionysius 4, 2.	τόνδε τὸν ἀρχαῖον τηλεδαπόν τε φίλον.
Crates 1, 7.	μύρμηκός τ' ἄφενος, χρήματα μαιόμενος.
1, 11.	οὐ δαπάναις τρυφεραῖς, ἀλλ' ἀρεταῖς ὁσίαις.
Philetas 13, 2.	ἐκ Διὸς ὡραίων ἐρχομένων ἐτέων.
22, 2.	καλὸν Ἰακχαῖον θηκαμένη στέφανον.
Hermesianax 5, 74.	αὐτοῖς μηλείοις θῆκαθ' ὕπο προγόνοις.
4, 84.	φαινομένου, δεινὸν δ' ἦλθον ὑφ' ἡνίοχον.

Sed præter illud homœoteleutorum genus alterum quoque artificium a Germanorum imprimis poetis antiquissimo iam tempore usurpatum Græcos nequaquam ignorasse accuratius demonstrare in animo est, quod quidem memoriæ imprimis adminiculum *paronomasiam* sive *annominationem*, recentiori vocabulo *allitterationem* appellare solent. Atque simplicissima eius species in eo versatur ut duo vel tria eiusdem versus verba eaque cum emphasi quadam posita ab eadem vel simili saltem littera incipiant. Ita Callinus 1, 1. | κατακεῖσθε | κότ'. 1, 2. | αἰδεῖσθ' | ἀμφιπεριχτίονας. 1, 5. | ἀποθνήσκων | ἀκοντισάτω. 1, 10. | ἀνασχόμενος | ἀσπίδος | ἄλκιμον. 1, 11. | πρῶτον πολέμου. 1, 13. | ἄνδρ' | ἀθανάτων. 1, 14. | δηιοτῆτα | δοῦπον. | Tyrtæus 1, 1. | Κρονίων καλλιστεφάνου. 2, 1. | Φοίβου | Πυθωνόθεν. 2, 2. | θεοῦ | τελέεντ'. 2, 3. | ἀργυρότοξος | ἄναξ | Ἀπόλλων. 2, 5. | βουλῆς | βασιλῆας. 3, 1. | θεοῖσι | Θεοπόμπῳ. 3, 2. | εἵλομεν | εὐρύχορον. 3, 3. | ἀγαθὴν | ἀροῦν | ἀγαθήν. 4, 1. | ἐμάχοντ' | ἐννέα | ἔτη. 4, 2. | ταλασίφρονα | θυμόν. 4, 3. | πατέρων | πατέρες. — Mimnermus 1, 4. | ἄνθεα | ἥβης | ἁρπαλέα. 2, 1. | φύλλα | φύει | πολυανθέος. 2, 2 | ἔαρος | αὐγῇς || αὔξεται | ἠελίου. Vbi duplex notanda est allitterationis species, qualis distinctius etiam apparet paullo post 9, 1. — 2, 10. | βέλτιον | βίοτος. 3, 4. | ὀλιγοχρόνιον | ὄναρ. 6, 1. | αἲ | ἄτερ | ἀργαλέων. 9, 1. | Ἠέλιος | ἔλαχεν || πόνον | ἤματα || πάντα. 13, 8. | πικρὰ | βιαζόμενος | βέλεα.

Paullo iam artificiosior allitterationis forma est quæ ab hexametro orsa etiam ad pentametrum progreditur ideoque per totum distichum patet, velut apud Mimnermum 1, 1 sq.

| Τίς δὲ βίος, | τί δὲ | τέρπνον || ἄτερ χρυσέης || Ἀφροδίτης;
|τεθναίην, ὅτε ||| μοι ||| μηκέτι | ταῦτα ||| μέλοι.

Vbi præter primariam quam litteræ τ præ se ferunt allitterationem altera conspicua est in verbis | ἄτερ | Ἀφροδίτης atque tertia in | μοι | μηκέτι | μέλοι. Deinde apud eundem Mimnermum 4, 1 sq.

τὸ | πρὶν || ἐὼν κάλλιστος, || ἐπὴν | παραμείψεται || ὥρη,
|| οὐδὲ | πατὴρ | παισὶν τίμιος || οὔτε | φίλος. — cf. 15, 5 sq.

Hæc sufficiant. Pervenimus ad tertium genus, quo iuxta verborum clausulas in medio et extremo pentametro inter se consonantes admittuntur vocabula ab eadem vel simili saltem littera incipientia, cuius artificii exempla abundant: Callinus 1, 15.

	|ἄνδρ' οὐδ' |εἰ προγόνων |ᾖ γένος |ἀθανάτων.
Archilochus 4, 8.	|ἐτράπετ', |αἱματόεν δ' |ἕλκος |ἀναστένομεν.
11, 2.	|ῥοῖτα καὶ ||κοίλων |πώματ' ἄφελκε ||κάδων.
Tyrtæus 6, 4.	|πτωχεύειν |πάντων ||ἔστ' ||ἀνιηρότατον.
6, 22.	κεῖσθαι |πρόσθε νέον ἄνδρα |παλαιότερον.
7, 28.	μηδ' |ἐκτὸς βελέων |ἑστάτω |ἀσπίδ' |ἔχων.
8, 2.	|οὔτε ||ποδῶν |ἀρετῆς |οὔτε ||παλαισμοσύνης.
Solo 3, 8.	|ἰσχὺν ἦντ' |ἄνδρες σῆμα φέρουσ' |ἀρετῆς.
13, 22.	|ὃς πολλῶν |ἐρατὴν |ὤλεσεν |ἡλικίην.
Anacreon 1, 4.	συμ|μίσγων ||ἐρατῆς |μνήσεται ||εὐφροσύνης.
Theognis 2.	λήσομαι |ἀρχόμενος οὐδ' |ἀποπαυόμενος.
78.	ἄξιος ἐν |χαλεπῇ, |Κύρνε, διχοστασίῃ.
134.	|ἀλλὰ ||θεοὶ ||τούτων ||δώτορες |ἀμφοτέρων.
178.	οὔθ' ἕρξαι |δύναται, γλῶσσα δέ οἱ |δέδεται.
890.	ψεύδεά τ' |ἐξαπάτας τ' |οὐλομένας τ' |ἔριδας.
534.	|χαίρω δ' ||εὔφθογγον |χερσὶ λύρην ||ὀχέων.
596.	|πλὴν |πλούτου |παντὸς ||χρήματός ἐστι ||κόρος.
634.	|ἀτηρὸς γὰρ |ἀεὶ λάβρος |ἀνὴρ τελέθει. κ. τ. λ.
Simonides 3, 6.	|ἡνίκ' ἄρ' |ἱμερτὴν |ἔπνεεν |ἡλικίην.
Io Chius 1, 17.	|πίνειν καὶ |παίζειν καὶ τὰ δίκαια |φρονεῖν.
Euripides 2, 2.	|ἠγάγετ' |εὐναίαν εἰς θάλαμον |Ἑλέναν.
Crates 1, 7.	|μύρμηκός τ' ἄφενος, χρήματα |μαιόμενος.

1, 11. | οὐ || δαπάναις || τρυφεραῖς, | ἀλλ' | ἀρεταῖς | ὁσίαις.
4, 2. | Εὐτελίη, κλεινῆς | ἔγγονε Σωφροσύνης.
Philetas 9, 2. | αἱρήσει κλήθρην | αἰρόμενος μακέλην.
13, 2. | ἐκ Διὸς | ὡραίων | ἐρχομένων | ἐτέων.
Hermesianax 5, 6. | ῥεῦμα || διὲκ μεγάλων | ῥυομένη || δονάκων.
5, 18. | εὐασμὸν κρυφίων | ἐξεφόρει λογίων.
5, 22. | Ἡσίοδον πάσης | ἤρανον | ἱστορίης.
5, 30. | ᾠδῇσιν || πινυτῆς | εἵνεκα || Πηνελόπης.
5, 36. | ἦχον καὶ μαλακοῦ || πνεῦμ' | ἀπὸ || πενταμέτρου.
5, 42. | πληγεὶς | Πακτωλοῦ ῥεῦμ' ἐπέβη | ποταμοῦ.
5, 80. ἀνθρώπων | σκολιὴν μαιόμενοι | σοφίην.
Phanocles 1, 16. | ἠχὴ δ' ὣς || λιγυρῆς πόντον | ἐπέσχε || λύρης.
3, 2. | πατρίδος, || ἀρχαίων || ἦν ὅδ' || ἀνὴρ | προγόνων.

His exemplis alia eaque haud pauca adiungere in promptu est; at ne longius vagemur pedem referre placebit, postquam lectorem revocaverimus ad Lobeckii Paralipomena grammaticæ Græcæ p. 55 sqq. de proprio quodam parechesis genere disputantis, quod in sermone quotidiano dominari solet proverbiorum modo.

Iam sicut in exclamandi formula ἒ ἒ iterum iterumque repetita primitus cardo vertebatur omnis funebris cantus, ita threnum, quo Linus Amphimari et Vraniæ filius ab Apolline occisus deplorabatur, [29]) a Lino incepisse in eundemque desiisse memoravit Hesiodus apud Eustathium ad Iliad. p. 1163, 62.

Οὐρανίη δ' ἄρ' ἔτικτε Λίνον πολυήρατον υἱόν,
ὃν δὴ ὅσοι βροτοί εἰσιν ἀοιδοὶ καὶ κιθαρισταί,
πάντες μὲν θρηνοῦσιν ἐν εἰλαπίναις τε χοροῖς τε,
ἀρχόμενοι δὲ Λίνον καὶ λήγοντες καλέουσιν.

Vbi rursus versus quidam intercalaris intelligendus esse videtur ita fortasse comparatus:

αἲ Λίνον αἲ Λίνον αἴ, αἲ Λίνον αἲ Λίνον αἴ.
sive: οἲ οἲ τὸν Λίνον οἴ, τὸν Λίνον τὸν Λίνον οἴ. [30])

Vnde, velut ex formula ἒ λέγε vocabulum ἔλεγος, orta sunt αἴλινος atque οἰτόλινος. Et quoniam Heraclides apud Plutarchum de Musica c. 3 Linum ipsum θρήνους πεποιηκέναι eundemque Phy-

[29]) Vide I. A. Ambroschii et Welckeri (in Zimmermanni diario schol. a. 1830 num. 2) de Lino dissertationes.

[30]) Similiter apud Bionem l. c. αἰαῖ τὰν Κυθέρειαν. cf. Ovidii Amor. III, 9, 23 sq.
Ælinon in silvis idem pater Ælinon altis
dicitur invita concinuisse lyra.

larchus apud Natalem Comitem p. 552 lugubrem adeo elegiam invenisse ait, facile hinc colligitur flebilium carminum usum a mythica Græcorum ætate esse repetendum, id quod confirmat etiam Philochori apud Eustathium l. c. p. 1163, 57 testimonium: *Φιλόχορος δὲ ὑπὸ Ἀπόλλωνος ἀναιρεθῆναι τὸν Λίνον φησὶ, διότι πρῶτος τὸ λίνον* (i. e. *filum linteum*, quo prius quam chorda usi esse perhibentur) *καταλύσας χορδῇ* (i. e. *fidibus, Darmsaite*) *ἐχρήσατο εἰς μουσικῆς ὄργανον. ἐτάφη δὲ ἐν Θήβαις καὶ ἐτιμᾶτο ὑπὸ τῶν ποιητῶν θρηνώδεσιν ἀπαρχαῖς, εἰς ὃν καὶ ἐπίγραμμά ἐστι τοιοῦτον·*

Ὦ Λίνε, πάντα θεοῖσι τετιμένε, σοὶ γὰρ ἔδωκαν
ἀθάνατοι πρώτῳ μέλος ἀνθρώποισιν ἀείδειν
ἐν ποδὶ δεξιτερῷ· Μοῦσαι δέ σε θρήνεον αὐταὶ
μυρόμεναι μολπῇσιν, ἐπεὶ λίπες ἡλίου αὐγάς.

Vtque quod sentio paucis complectar, threnorum in Lini honorem cantatorum Linus auctor habitus est ipse, qualem notionum confusionem non est quod in fabulis mirere. Ad antiquissimum vero *ᾠδῆς εἶδος* pertinere etiam *θρήνους* præter Homerum gravissimus testis est Plato de Legibus III p. 700. Iam Linum ipsum cantum fuisse *θρηνητικὸν* luce clarius ostendit Herodoti locus II, 79. *τοῖσι [τοῖς Αἰγυπτίοις] ἄλλα τε ἐπάξιά ἐστι νόμιμα καὶ δὴ καὶ ἄεισμα ἕν ἐστι Λίνος, ὅσπερ ἔν τε Φοινίκῃ ἀοίδιμός ἐστι καὶ ἐν Κύπρῳ καὶ ἄλλῃ· κατὰ μέντοι ἔθνεα οὔνομα ἔχει,* [31]) *συμφέρεται δὲ ὡυτὸς εἶναι τὸν οἱ Ἕλληνες Λίνον ὀνομάζοντες ἀείδουσι. — ἔστι δὲ Αἰγυπτιστὶ ὁ Λίνος καλεύμενος Μανέρως. ἔφασαν δέ μιν Αἰγύπτιοι τοῦ πρώτου βασιλεύσαντος Αἰγύπτου παῖδα μουνογενέα γενέσθαι, ἀποθανόντα δ' αὐτὸν ἄνωρον θρήνοισι τούτοισι ὑπ' Αἰγυπτίων τιμηθῆναι.* Vnde hoc quoque evincitur *λίνον* cantilenam funebrem derivandam esse a Lino flebiliter celebrato, quemadmodum threno in Manerotis honorem decantato ab ipso Manerote inditum est nomen. Et quoniam Heraclides eundem Linum, quem *θρήνους πεποιηκέναι* dixit, apud Plutarchum de Musica c. 3 designat *τὸν ἐξ Εὐβοίας*, Welckerus eodem rettulit Theoclem Naxium sive Eretriensem (eundem vero intelligendum esse Theoclem, quo duce Chalcidenses ex Eubœa Naxum condidisse tradit Thucydides VI, 3. ipsa illa prodere ait nomina *Νάξιος ἢ Ἐρετριεύς*) cuius mentionem fecit Suidas Vol. I P. 2 p. 173, 1. *Ἐλεγαίνειν, τὸ παραφρονεῖν τινὲς τῶν παλαιῶν. καὶ τὸ ἐλεγεῖον μέτρον ἀπὸ τούτου κληθῆναί τινες νομίζουσιν, ὅτι Θεοκλῆς Νάξιος ἢ Ἐρετριεὺς πρῶτος αὐτὸ ἀνεφθέγξατο μανείς.* Igitur Theocles furore quodam correptus metrum elegiacum primus extulisse dicitur, qui quidem furor (nisi omnem hanc fabulam

[31]) i. e. pro diversis gentibus diversum nomen habet cantuum genus; quod a Graecis *Λίνος* vocatur, a Phœnicibus atque Cypriis *Ἀδωνιασμός*, a Phrygibus *Λιτυέρσης*, a Bithyniis *Βῶρμος* et *Μαριανδυνός*, ab Ægyptiis *Μανέρως*. cf. H. Vlrici hist. poesis Graecae II p. 172.

a poeta comico nescio quo per ludibrium ementitam, deinde a socorde quodam grammatico pro vera acceptam esse posueris) ex immenso luctu ac dolore erupisse censendus est. [32])

Sequitur Olympus, qui quum in musicis modis Marsyæ vestigia pressisse feratur (Pausan. X, 30, 5) a vera artium litterarumque historia ultra Callinum removendus est; Alexander enim *ἐν τῇ συναγωγῇ τῶν περὶ Φρυγίας* teste Plutarcho de Musica c. 4 *Ὕαγνιν* ait *πρῶτον αὐλῆσαι, εἶτα τὸν τούτου υἱὸν Μαρσύαν, εἶτ' Ὄλυμπον.* [33]) Iam Suidas Vol. II p. 1089 Olympum non solum *αὐλητὴν* nuncupavit sed etiam *ποιητὴν ἐλεγείων*, i. e. carminum ad aulœdicos modos qui *ἔλεγοι* vocabantur accommodatorum: quanquam Suidæ verba *ποιητὴς μελῶν καὶ ἐλεγείων* eiecta particula *καὶ* prona sunt ad emendandum *ποιητὴς μελῶν ἐλεγείων*, i. e. *ἐλεγείων μεμελοποιημένων*, quibus idem fere isque explicatior efficitur sensus. Ipsius vero Olympi *μέλη* Aristotele gravissimo auctore Polit. VIII, 5. *ποιεῖ τὰς ψυχὰς ἐνθουσιαστικάς, ὁ δὲ ἐνθουσιασμὸς τοῦ περὶ τὴν ψυχὴν ἤθους πάθος ἐστίν.* Atque lugubres imprimis fuisse Olympi modos aulœdicos patet etiam ex versu Aristophanis Equitum 9. *ξυναυλίαν κλαύσωμεν Οὐλύμπου νόμον*, ubi Schol. *ὁ δὲ Ὄλυμπος μουσικὸς ἦν, Μαρσύου μαθητής, ἔγραψε δὲ αὐλητικοὺς καὶ θρηνητικοὺς νόμους.* Accedit quod Olympus primus aulœdicæ harmoniæ neniam aptasse fertur in Pythonem ab Apolline interfectum apud Plutarchum de Musica c. 14. *Ὄλυμπον γὰρ πρῶτον Ἀριστόξενος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Μουσικῆς ἐπὶ τῷ Πύθωνί φησιν ἐπικήδειον αὐλῆσαι Λυδιστί.* Huc spectat etiam excerptum Pollucis Onomast. IIII, 78 sq. *νόμοι δὲ Ὀλύμπου καὶ Μαρσύου Φρύγιοι καὶ Λύδιοι. — καὶ Ὀλύμπου ἐπιτύμβιοι.*

[32]) Welckerus ipse Museo Rhen. IIII p. 431. *Das ἐλεγαίνειν des Theokles aber, wobei er zuerst dies Sylbenmass ausgesprochen haben soll, wird nicht als Klage genommen, sondern er that es μανείς. Vielleicht hieng es so zusammen, dass ein eigentliches ἐλεγαίνειν, ein grosser Trauerfall des Theokles und eine Elegie darauf bekannt waren und zugleich dass der Mann ausser sich gekommen sei in Verzweiflung des Schmerzes. Nun ist es zwar absurd genug von ἐλεγαίνειν in der Bedeutung des Wahnsinns das ἔλεγον herzuleiten, indem Theokles seinen Wahnsinn darin ausgesprochen habe: die Sache an sich, die so verdreht worden, kann dadurch nicht verlieren, und dass sie auf altem und gutem Zeugnisse beruhe kann man sogar aus der Verdrehung schliessen: eine reine Erdichtung zur Erklærung des Wortes würde ganz anders aussehen.* — Fieri quidem potuit ut Theocles elegiam componeret flebilem eamque furoris plenam, quemadmodum ipse Solo, quum elegiam quae Salamis inscripta erat e praeconis suggestu recitaret, simulasse quidem insaniam narratur (vid. ad Solon p. 23): hinc tamen nondum colligere licet eundem Theoclem metri elegiaci re vera fuisse inventorem.

[33]) Est qui ab ipso Apolline non solum citharam sed etiam tibiam inventam esse finxerit apud eundem Plutarchum l. l. c. 14. Ab Olympo Marsyae filio distinguendus est alter *νεώτερος*. cf. Plutarch. l. l. c. 7.

Insignis Olympum inter atque illos lacuna statuenda est qui post Olympiadum initium modos aulœdicos ad maiorem perfectionis gradum duxisse iidemque elegiacæ poesi operam dedisse narrantur, de quibus ante omnia audiamus Plutarchum de Musica c. 3 sq. ita referentem: *Ὁμοίως δὲ Τερπάνδρῳ Κλονᾶν τὸν πρῶτον συστησάμενον τοὺς αὐλῳδικοὺς νόμους καὶ τὰ προσόδια ἐλεγείων τε καὶ ἐπῶν ποιητὴν γεγονέναι, καὶ Πολύμνηστον τὸν Κολοφώνιον τὸν μετὰ τοῦτον γενόμενον τοῖς αὐτοῖς χρήσασθαι ποιήμασιν. οἱ δὲ νόμοι οἱ κατὰ τούτους αὐλῳδικοὶ ἦσαν ἀπόθετος, ἔλεγοι κ. τ. λ.* Clonas, Terpandri æqualis natu minor, sive Tegeata sive Thebanus, atque Polymnestus Colophonius, Meletis filius,[34]) modis aulœdicis novam quandam eamque exquisitiorem harmoniam adhibuisse censendi sunt, quandoquidem Clonas significatur *ὁ πρῶτον συστησάμενος τοὺς αὐλῳδικοὺς νόμους*, quippe qui et ipse *ἐλεγείων ποιητὴς* modos aulœdicos ad eam quæ inde a Callini imprimis ætate usu recepta est elegiarum formam atque sententiam accommodasse videatur. Fuerunt etiam qui Ardalum Trœzenium aulœdiam iam prius renovasse censerent apud Plutarchum l. l. c. 5. *ἄλλοι δέ τινες τῶν συγγραφέων Ἄρδαλόν φασι Τροιζήνιον πρότερον Κλονᾶ τὴν αὐλῳδικὴν συστήσασθαι μοῦσαν.*

Sicuti priscus ille qui a Clona et Polymnesto *ἔλεγος* appellabatur modus aulœdicus carminibus elegiacis aptissimus fuisse videtur, ita Plutarcho l. l. c. 8 referente *ἄλλος ἐστὶν ἀρχαῖος νόμος καλούμενος Κραδίας, ὅν φησιν Ἱππῶναξ Μίμνερμον αὐλῆσαι*, unde apparet, quum Mimnermum unum ex principibus poetarum elegiacorum fuisse constet, *Κραδίαν νόμον* eumque *αὐλῳδικὸν* ab elegiarum rhythmo nequaquam abhorruisse, quem tamen primitus ad sacra quædam peragenda adhibitum esse docet Hesychius v. *Κραδίης νόμος· νόμον τινὰ ἐπαυλοῦσι τοῖς ἐκπεμπομένοις φαρμακοῖς κράδαις καὶ θρίοις ἐπιραβδιζομένοις.*[35]) Vides *Κραδίαν* fuisse harmoniam tibiis

[34]) Plutarch. l. l. c. 5. *Κλονᾶς δὲ ὁ τῶν αὐλῳδικῶν νόμων ποιητής, ὁ ὀλίγῳ ὕστερον Τερπάνδρου γενόμενος, ὡς μὲν Ἀρκάδες λέγουσι, Τεγεάτης ἦν, ὡς δὲ Βοιωτοί, Θηβαῖος. μετὰ δὲ Τέρπανδρον καὶ Κλονᾶν Ἀρχίλοχος παραδίδοται γενέσθαι. — γεγονέναι δὲ καὶ Πολύμνηστον ποιητὴν, Μέλητος τοῦ Κολοφωνίου υἱόν, ὃν Πολύμνηστόν τε καὶ Πολυμνήστην νόμους ποιῆσαι. — τοῦ δὲ Πολυμνήστου καὶ Πίνδαρος καὶ Ἀλκμὰν οἱ τῶν μελῶν ποιηταὶ ἐμνημόνευσαν.* Vnde patet Polymnestum ante Alcmanem iam floruisse. cf. Clintonis Fasti Hell. I p. 346. 195. 201.

[35]) I. V. Franckius Callin. p. 129 neminem non videre ait istiusmodi canticum quam alienum sit a Mimnermo. *Quid quæris? constabat* Κραδίαν *esse nomi cuiusdem auletici appellationem antiquam: sed nihil amplius, nisi me omnia fallunt, traditum erat. In eiusmodi autem glossis accuratius explicandis ad etymologiam grammatici confugere solebant. Et* Κραδίης *quidem grammatico quem Hesychius sequitur videbatur a* κράδη *posse deduci idque satis esse putabat ad excogitandam omnem interpretationem istam.* — At hoc profecto est hariolari et si quid praeposteris rationibus parum congruit expellere furca. Equidem Hesychium ipsum vel alium nescio quem grammaticum eiusmodi fabellam proprio Marte finxisse negaverim.

accantatam piaculis quæ in Thargeliis ramis ac foliis ficulneis cæsa expellebantur. Illum vero nomum fuisse mæstiorem eumque feralia attrectasse quis est qui non subito sibi persuaserit? Quare Hipponax iambographus Mimnermum obliqua insectatione perstrinxisse censendus est, quod prisco illo nomo adhibito eroticis elegiis induxisset colorem quendam tristiorem ab amore quidem alienum: quanquam reapse Mimnermus *Κραδίαν νόμον* ita in usum suum convertisse videtur ut eandem fere vel similem melodiam iis elegiis aptaret quæ tibiis accinentibus paullo severius atque tristius sonarent.

Et sicut Mimnermus, quem et ipsum *αὐλητὴν* fuisse memoriæ prodidit Strabo XIIII p. 921, tibiarum modos elegiarum cantui aptavit, ita etiam Archilochus eodem instrumento musico usus esse videtur, quanquam præfracte contendi nequit *αὐλόν*, quo comite apud Athenæum IIII p. 180 E *παιήονα ἐξάρχων* dicitur, eundem ad ipsius elegias quoque adhibitum esse. Sed quoniam eiusdem Archilochi fragmentum in Scholiis ad Aristophanis Aves v. 1426 laudatum: *ᾄδων ὑπ' αὐλητῆρος* simillimum est dicendi formulæ a Theognide 533 (cf. 825) usurpatæ: *χαίρω — ὑπ' αὐλητῆρος* (i. e. *accinente tibicine*) *ἀείδων*, probabile est saltem Archilochum a communi elegiarum harmonia aulœdica haud recessisse. Quum autem Tyrtæus carmina non solum ipse cecinisse (*ἐλεγεῖα ᾄδων*) dicatur a Pausan. IIII, 16, 3, sed eadem etiam ab adolescentibus Lacedæmoniis alternatim in epulis decantata esse testetur Philochorus apud Athen. XIIII p. 630 F, ægre mihi persuaserim cantus illos musicis modis fuisse destitutos: quos tamen quales fuisse conieceris nisi aulœdicos? — Etiam Messenii vel potius mulieres Messeniæ Pausania auctore IIII, 16, 4 carmen elegiacum in Aristomenis honorem concinuerunt, quod ipsius Pausaniæ ætate cantabatur (*ἐπέλεγον ᾆσμα τὸ καὶ ἐς ἡμᾶς ἔτι ᾀδόμενον*). Tum Solo bellicam elegiam, quo Atheniensibus Salaminem insulam recuperandam esse persuasit, ipse nuncupavit *ᾠδὴν* eandemque cecinisse narratur;[36]) neque vero dissimile est hæc *ἐλεγεῖα* quæ *Ἀρήια ᾄσματα* appellavit Polyænus I, 20, 1 præ ceteris significari a Sexto Empirico adv. Musicos p. 357. *καὶ οἱ ταῖς Σόλωνος χρώμενοι παραινέσεσι πρὸς αὐλὸν* (i. q. *ὑπ' αὐλητῆρος*) *καὶ λύραν παρετάσσοντο, ἔνρυθμον ποιούμενοι τὴν ἐνόπλιον κίνησιν.* Nimirum reliquas Solonis elegias, quæ ethicam potius præ se ferunt speciem, non posse intelligi apparet ex loco Athenæi XIIII p. 632 D. ubi Xenophanes, Solo, Theognis, Phocylides, Periander, alii laudantur *οἱ μὴ προσάγοντες πρὸς τὰ ποιήματα μελῳδίαν*.

Tantum hactenus collegisse nobis videmur, carmina elegiaca, quoties ad musicos modos cantarentur, inde ab antiquissimo tempore tibias sibi adiunxisse socias. Eorum vero poetarum, qui paullo ante signati sunt *μὴ προσάγοντες πρὸς τὰ ποιήματα μελῳδίαν*, elegiæ a rhapsodis carminum Homericorum instar recitatæ esse videntur, recitatæ autem simpliciter, non adhibita musica modulatione: id quod apparet ex Diogene Laertio VIIII, 18. *Ξενοφάνης αὐτὸς ἐρραψῴδει τὰ ἑαυτοῦ.* Accedit

[36]) Videsis quae annotavimus ad Solonem poetam p. 23 sq.

gravissimum Callimachi testimonium in Schol. ad Pindari Nem. 2, 1. *Τοὺς ῥαψῳδοὺς οἱ μὲν ῥαβδῳδοὺς ἐτυμολογοῦσι διὰ τὸ μετὰ ῥάβδου δηλονότι τὰ Ὁμήρου ἔπη διεξιέναι. Καλλίμαχος·*

καὶ τὸν ἐπὶ ῥάβδῳ μῦθον ὑφαινόμενον
ἠνεκὲς ἀείδω δειδεγμένος. —

Ad *Αἴτια* sua respicere videtur Callimachus, libros videlicet elegiacos, quibus fabulas eodem fere modo connectere se significat, quo epica carmina a rhapsodis recitari solebant. Iam ipsa elegiarum recitatio qualis posteriori saltem tempore fuerit docet Dionysius Thrax *περὶ ἀναγνώσεως* in Bekkeri Anecdotis Græcis p. 629. *Ἀναγνωστέον δὲ καθ' ὑπόκρισιν, κατὰ προσῳδίαν, κατὰ διαστολήν· ἐκ μὲν γὰρ τῆς ὑποκρίσεως τὴν ἀρετήν, ἐκ δὲ τῆς προσῳδίας τὴν τέχνην, ἐκ δὲ τῆς διαστολῆς τὸν περιεχόμενον νοῦν ὁρῶμεν, ἵνα τὴν μὲν τραγῳδίαν ἡρωικῶς ἀναγνῶμεν, τὴν δὲ κωμῳδίαν βιωτικῶς, τὰ δὲ ἐλεγεῖα λιγυρῶς, τὸ δὲ ἔπος εὐτόνως, τὴν δὲ λυρικὴν ποίησιν ἐμμελῶς κ. τ. λ.* Ipsum vero illud *λιγυρῶς ἀναγιγνώσκειν* quid sibi velit explicat Dionysii Scholiasta p. 750. *λιγυρῶς, τουτέστιν ὀξυφώνως· ἡ γὰρ λύπη τῇ παρατροπῇ τῆς φωνῆς ἐκ τοῦ κλαυθμοῦ ὀξυτέρα παρεισάγει.* Vnde patet Scholiastam non nisi de lugubri cogitasse elegia, quo refertur etiam alterum scholium: *λιγυρῶς δὲ οἷον ὀξέως ἀναγιγνώσκειν ὑμᾶς δεῖ τὰ ἐλεγεῖα, ὡς ἂν συμπεπληγμένους καὶ ἐκπεπληγμένους τῷ πλήθει τῶν κακῶν.* Eodem spectare videtur Lucianus Tim. c. 46 iocosius scribens: *καὶ μὴν ἐλεγεῖά γε ᾄσῃ μάλα περιπαθῶς ὑπὸ ταύτῃ τῇ δικέλλῃ.*

Ab elegiarum cantu atque simplice recitatione distinguendum est tertium quoddam recitandi genus idque ita comparatum ut, quemadmodum *ἀοιδὸς* Homericus (Odyss. I, 155. VIII, 266.) *φορμίζων ἀναβάλλεται καλὸν ἀείδειν*, sic etiam rhapsodus elegiacus tibia prælusisse putandus sit carminibus recitandis. Iam explicatur cur Tyrtæus atque Mimnermus poetæ elegiaci iidem tibicines fuisse dicantur. Atque nescio an huc spectet Athenæus XIIII p. 620 C, præsertim quum totus hic locus scriptus sit de rhapsodis, non item de cantoribus: *Χαμαιλέων δ' ἐν τῷ περὶ Στησιχόρου καὶ μελῳδηθῆναί φησιν οὐ μόνον τὰ Ὁμήρου ἀλλὰ καὶ τὰ Ἡσιόδου καὶ Ἀρχιλόχου, ἔτι δὲ Μιμνέρμου καὶ Φωκυλίδου·* quandoquidem eundem Athenæum superius referentem audivimus Phocylidem in numero poetarum fuisse *τῶν μὴ προσαγόντων πρὸς τὰ ποιήματα μελῳδίαν.* Quæ testimonia primo aspectu invicem sibi repugnantia sic demum una constabunt, si Phocylidis elegias a musica modulatione proprie alienas tibia præludente (non accinente) subinde recitatas esse posueris. Atque hæc quidem hactenus.

Nunc ut paucis repetamus quod supra copiosius expositum est, *ἔλεγος* proprie spectat ad *νόμον θρηνητικόν*, *ἐλεγεῖον* denotat metrum quo carmina lugubria includebantur, *ἐλεγεία* denique carmen est ipsum elegiaco metro compositum. Iam sicut hexameter heroicus, qui primitus ex

epica potissimum poesi aptus fuit, ad alias quoque carminum formas accommodabatur, ita pentameter elegiacus hexametro adiunctus a querelis et rebus tristibus, unde ipse originem deduxit, mox etiam ad alia imprimis lyrica argumenta translatus genuinam naturam paullatim ita exuisse videtur, ut nullam fere nisi metricam elegiæ speciem præ se ferret. Sic Callinus et Tyrtæus res bellicas, Mimnermus amorem, Solo res publicas versibus impariter iunctis includere cœperunt. Sed ipsum nomen ἐλεγεῖον ante Critiam et Thucydidem apud nullum eorum qui hodie supersunt scriptorem exstare compertum habemus: immo Herodotus V, 113 de Solonis distichis, quibus Philocyprum Cypriorum regem celebravit, ita dixit: ἐν ἔπεσι αἰνέσε, non, quod exspectaveris, ἐν ἐλεγείοις, præsertim quum Solonem aliis quoque metris usum esse sciamus.[37]) Etiam Theognis disticha sua communi ἐπῶν nomine notavit v. 19. Κύρνε, σοφιζομένῳ μὲν ἐμοὶ σφρηγὶς ἐπικείσθω τοῖσδ' ἔπεσιν. v. 22. ὧδε δὲ πᾶς τις ἐρεῖ· Θεύγνιδός ἐστιν ἔπη. Quam ob rem etiam Xenophon apud Stobæum p. 499 Theognidis elegias ἔπη nuncupavit. Huc referendus Solonis quoque locus, ubi disticha quibus Salaminem insulam Atheniensibus recuperandam persuasit per verba κόσμον ἐπῶν, ᾠδήν, distinguuntur ab oratione pedestri, ἀντ' ἀγορῆς θέμενος. Acute perspexit Hermannus Vlrici in elegantissimo quem de Græcæ poesis historia conscripsit opere carmina elegiaca priori tempore ἔπη appellata esse propterea quod antiquissimorum quæ supersunt Callini, Archilochi, Tyrtæi distichorum natura propius ad epicam poesin accessisset.[38]) Vnde factum est ut Platonis tempore, quo ἐλεγεῖα de distichis qualicunque argumento adstrictis adhiberi iam cœperant, ἔπη referrentur ad communem hexametrorum et pentametrorum notionem, ἐλεγεῖα autem opponerentur ἔπεσιν, quatenus hæc de solis hexametris intelligenda sunt. Socrati enim in Platonis Menone p. 95 D. sic interroganti: ἀλλὰ καὶ Θέογνιν τὸν ποιητὴν οἶσθ' ὅτι ταὐτὰ ταῦτα λέγει; alteram quæstionem Meno opponit hancce: ἐν ποίοις ἔπεσιν; respondet Socrates: ἐν τοῖς ἐλεγείοις οὗ λέγει Καὶ παρὰ τοῖσιν πῖνε κ.τ.λ.

[37]) Similiter Athenæus III p. 125 D. Asii disticha ἔπη vocavit, nisi h. l. cogitandum de ea quæ posterius demum obtinuit versuum notione.

[38]) *Geschichte der Hellenischen Dichtkunst* II p. 103 sq. cf. p. 107. *Das epische Element, der äussere Gegenstand in epischer Auffassung, mit welchem der lyrische Gedanke sich gleichsam vermæhlt, ist repræsentiert durch den Hexameter, den Vers der Wirklichkeit und Objectivitæt, der erzæhlenden (epischen) und didaktischen Dichtung; der lyrische Gedanke wird ihm gepaart durch den Pentameter, welcher in seiner Zweiheit, in seinem Steigen und Fallen das Wogen der Empfindungen und Gefühle schœn darstellt, dessen weiche Bewegung und süsstœnenden Klang Hermesianax rühmt.* — p. 158. *Sie (Elegie) grenzt am næchsten an das epische Gebiet der Poesie, insofern sie dem äussern Leben sich anschliesst, an einen äussern Gegenstand, episch in seiner vollen Aeusserlichkeit aufgefasst, den lyrischen Gedanken, das Lyrische des Gefühls und der Empfindung anknüpft, und ihn so in das Gebiet der lyrischen Dichtung hinüberzieht. In dem ersten Keime ihres Wesens ruht sie daher unzweifelhaft im hæchsten Alterthum der Völker und entstand mit den ersten leisesten Anzeichen geistiger Bildung.* —

Sequitur tetrastichum quod hodie in vulgari Theognidis collectione legitur v. 53—56. Vtque Theognidem continuos quoque hexametros condidisse sumamus præter corruptum Suidæ locum ipsa illa Platonis *τῶν ἐπῶν* et *ἐλεγείων* oppositio præfracte desiderat. Quanquam posteriori ætate, ea tamen a Platonis tempore remotissima, vox *ἔπη* a genuina sua vi ita deflexit, ut *versus* qualescunque significaret, quemadmodum a Diogene Laertio I, 61 Solonis laudantur *ἔπη πεντακισχίλια.*[39]) At hæc perversa inferiorum scriptorum ratio *οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον.*

Gravius est quod ante belli Peloponnesiaci ætatem disticha communi adhuc *ἐπῶν* appellatione gaudent, nusquam vero peculiare *ἐλεγείων* nomen sibi vindicant. Quod ita factum esse crediderim. Eo nimirum tempore, quo origo et germana vocabuli notio, ut *ἐλεγεῖον* ad flebiles modos et lugubre tantum carminis argumentum referretur, altius in omnium animis impressa erat quam ut una cum distichorum terminis longius propagatis confestim oblitteraretur; vix cuiquam in mentem venit carminibus politicis aut ethicis, licet distichis essent inclusa, nomen imponere a querelis tractum idque funebri argumento consentaneum. Fieri etiam potuit ut vel ipsa lugubria disticha initio appellarentur *ἔπη*, usque dum a flebilibus modis qui *ἔλεγοι* vocabantur repeterent nomen *ἐλεγείων.* Transitus autem paullatim ita factus esse videtur ut, quum proprie metrum ad flebiles modos (*ἐλέγους*) accomodatum diceretur *ἐλεγεῖον,* mox non solum carmina sed etiam epigrammata *ἐπικήδεια* eodem *ἐλεγείων* nomine signarentur. Testis est Draco Stratonicensis de Metris p. 161 sq. *Τὸ ἐλεγεῖον μέτρον παρωνόμασται ἀπὸ τοῦ ἐλέγου, ὃ σημαίνει παρ᾽ Ἀττικοῖς τὸν θρῆνον — εἰώθασι γὰρ χρῆσθαι τούτῳ ἔν τε θρήνοις ἐπιταφίοις καὶ ἐπιγράμμασι.* Græci enim in sepulcris lapides erigere iisque titulos inscribere solebant, et quoniam animi sententiam aut ægritudinem paucis plerumque verbis exprimebant atque disticho potissimum includebant, quale iam Archilochus scripsisse memoratur *ἐπιτύμβιον*, ipsum hoc distichum, brevisimam doloris interpretationem, vocabant *ἐλεγεῖον*, quod quidem ad inscriptiones sepulcrales relatum idem valere atque *ἐπικήδειον* ostendit Plutarchus Pelopid. c. 1. *δηλοῖ τὸ ἐπικήδειον·*

οὐδ᾽ ἔθανον τὸ ζῆν θέμενοι καλὸν οὔτε τὸ θνήσκειν,
ἀλλὰ τὸ ταῦτα καλῶς ἀμφότερ᾽ ἐκτελέσαι.

Quare Iulius Pollux Onom. VIII, 146 in apparatu sepulcrali collocat etiam *στήλην* et *ἐλεγεῖον*, quod idem esse atque *ἐπίγραμμα στήλῃ ἐπιγεγραμμένον* docet ipse III, 102. Epigrammatum vero genus, qui antiquissimo tempore sepulcralibus maxime monumentis erat dedicatus isque a Simonide Ceo ad summum perfectionis ac simplicitatis fastigium elatus, iam pridem a sepulcris ad donaria (*ἀναθήματα*) aliasque res promiscuas translatus in caussa fuisse videtur ut circa tempus belli Peloponnesiaci *ἐλεγεῖον* paullatim de metro tantum intelligi cœpisset. Quam ob rem Thucydides I, 132 hocce *ἐπίγραμμα ἀναθηματικόν·*

39) Vide Franckii Callin. p. 77 sq.

Ἑλλήνων ἀρχηγὸς ἐπεὶ στρατὸν ὤλεσε Μήδων
Παυσανίας Φοίβῳ μνῆμ' ἀνέθηκε τόδε·

simpliciter appellavit *ἐλεγεῖον*, cui hoc loco vix quisquam subtiliorem quam metricam distichi assignabit potestatem. Quod quum iterum ac sæpius in epigrammatis qualiscunque sententiæ designandis tentatum esset, hominum consuetudo facile eo abire potuit ut iam non epigrammata tantum sed ampliora quoque poemata vocarentur *ἐλεγεῖα* sive *ἐλεγεῖαι* ad exprimendos versus impariter iunctos. Eadem igitur fuit ratio poesis elegiacæ atque iambicæ; nam sicut *ἴαμβοι* proprie sunt convicia ad poematis argumentum spectantia, *ἰαμβεῖα* autem ad solum metrum referuntur nullo prorsus argumenti habito respectu, ita *ἔλεγοι* de lugubribus tantum modis usurpantur, *ἐλεγεῖα* atque *ἐλεγεῖαι* suo sibi iure paullatim eam vindicarunt potestatem ut cuilibet argumento consentanea nullam nisi metricam præ se ferrent speciem.

Nunc eo inclinabit quæstio quid sibi voluerint grammatici Horatio teste de elegiæ inventore certantes. Certarunt procul dubio non de iis qui primum flebiles modos (*ἐλέγους*) emisissent iisque disticha (*ἐλεγεῖα*) accommodassent, verum certarunt, opinor, de elegiæ principibus, qui ingentia bella aut discordias civium, plebis et optumatium certamina, aut querelas amorisque desideria liberiori iam egressu memorantes distichis mandavissent, certarunt igitur de Callino, Archilocho, Mimnermo. Orion Thebanus p. 58, 8. *Εὑρετὴν δὲ τοῦ ἐλεγείου [φασὶν] οἱ μὲν τὸν Ἀρχίλοχον, οἱ δὲ Μίμνερμον, οἱ δὲ Καλλῖνον παλαιότερον.* 40) Memoratu dignissimum est eosdem poetas, ab aliis tamen alium, pro inventoribus elegiæ habitos esse qui unum ex tribus generibus elegiacis præcipue excoluerunt, Callinum *ἐλεγείαν πολιτικήν*, Archilochum *ἐλεγείαν θρηνητικήν*, Mimnermum denique *ἐλεγείαν ἐρωτικήν*. Huc spectat etiam Terentianus Maurus de Metris v. 1721 sq.

Pentametrum dubitant quis primus finxerit auctor,
quidam non dubitant dicere Callinoum.

Accedit Marius Victorinus Artis grammat. III p. 2555. *Considerantibus nobis, quot ex dactylico heroo per singulos prototyporum canones metrorum species procreentur, manifesta ratione reperio primam eius veluti sobolem a pentametro versu cœpisse, unde consequenti ratione initium suscepti operis ab eodem ordiemur quod metrum* τεσσαρεσκαιδεκασύλλαβον Σαπφικὸν *et* Αἰολικὸν *dicitur, quod invenisse fertur Callinous Ephesius, alii vero Archilochum eius auctorem tradiderunt, quidam Colophonium quendam, super quorum opinione apud grammaticos magna dissensio est.* 41) Iam primum

40) Idem locus exstat in Etymologico Gud. p. 180, 6. ubi tamen hæc varietas scripturæ reperitur: *εὑρετεῖς δὲ τῆς ἐλεγείας οἱ μὲν τὸν Ἀντίλοχον κ. τ. λ.* quod haud dubie emendandum *Ἀρχίλοχον*, sicut etiam in Scholiis ad Apoll. Rhod. I, 824 unus cod. P. suppeditat *Ἀντίλοχος* pro vulgata *Ἀρχίλοχος*.

41) Hinc pendet Isidorus Originum lib. I, 38, 15. quidam eorum [grammaticorum] Colophonium quendam, quidam Archilochum auctorem atque inventorem volunt. cf. Franckii Callin. p. 12 sqq.

de forma *Callinous* non est quod multa verba faciamus: orta ex perversa eorum ratione qui nomen *Καλλῖνος* ex verbis *κάλλος* et *νόος* sive *νοῦς* compositum esse opinantur. Callinous autem sive Callinus a Victorino inventor *metri Sapphici et Æolici* dictus manifesto errore, sive ab ipso grammatico sive aliunde profectus est: dicere voluit aut fortasse ipse etiam dixerat Victorinus *metrum τεσσαρεσκαιδεκασύλλαβον ἐλεγειακόν*, quatenus pentameter ex quattuor dactylis (i. e. duodecim syllabis) et duabus syllabis longis compositus cogitatur. Ceterum *Colophonius* ille non alius potest esse quam *Mimnermus* ab Orione quoque laudatus.

Callinum denique etiam Aristoteles pro antiquissimo poetarum elegiacorum habuisse censendus est, quippe cuius auctoritas in auxilium vocetur a vetere commentatore Ciceronis ad orationem pro Archia ab Angelo Maio in Ciceronis trium orationum fragmentis anno 1814 edito p. 61 (rep. in Ciceronis Scholiastis ab Orellio editis II p. 358): *Alternos igitur versus dicit elegiacos, metris scilicet dissentientibus varios, primus autem videtur elegiacum carmen scripsisse Kallinos.*[42]) *adiecit Aristoteles præterea ad hoc genus poetas Antimachum Colophonium, Archilochum Parium, Mimnermum Colophonium, quorum numero additur etiam Solon Atheniensis legum scriptor nobilissimus.* Aristoteles ipse in libro scilicet quem *περὶ Ποιητῶν* scripsisse narratur *Antimachum* haud dubie non eo quo hic positus est ordine sed post *Solonem* potius laudasse, iustum vero ordinem aut commentator pervertisse aut *Antimachus* aliunde irrepsisse putandus est. Accedit fragmentum incerti scriptoris apud Censorinum p. 140 ed. Havercamp. *Antiquissimi poetarum Homerus, Hesiodus, Pisander, et hos secuti Callinus, Mimnermus, Euenus.*[43]) Neque reiicienda est Bœckhii quam Inscriptionum Græcarum Vol. I p. 65 proposuit sententia, ante Callinum elegiacum distichum aut nondum aut nuperrime inventum fuisse, quatenus hæc sententia ita intelligitur, ut vix quisquam ante Callinum disticha elegiaca ad eum perfectionis gradum evexisse ponatur quem ipse ille poeta assequutus est. Quid multa? Aristoteles et qui eius vestigia presserunt grammatici Alexandrini Callinum inter elegiacos poetas eundem locum obtinere iudicarunt quem suo sibi iure vindicat Homerus in epico genere ad artem revocando.

Sicut epicorum, melicorum, scenicorum poetarum canonem quendam condiderunt grammatici Alexandrini, ita elegiacorum quoque poetarum principes in eundem numerum recepti esse videntur, a quorum carminibus ceteri postea poetæ lineamenta artis velut a lege quadam peterent. Huc enim

42) Sic emendandam esse corruptam codicis scripturam A l i i n o s clarissimus Maius iam divinavit. Neque Welckerus dilectissimus præceptor cuiquam persuadebit suum A i l i n o s, propterea quod Aristoteles, e cuius *περὶ Ποιητῶν* libro scholion illud excerptum esse coniecit, vocabulum *ἐλεγεῖον* de elegiaco carminis metro, non de threnetico eius argumento intellectum esse prodidit ipse *περὶ Ποιητικῆς* c. 1, 7. Vid. Zimmermanni diar. schol. a. 1830 p. 30. Museum Rhen. III p. 430.

43) Vbi ex librorum V. C. scriptura G a l l i n u s restituimus C a l l i n u s pro vulg. C a l l i m a c h u s, qui h. l. ineptus est. E u e n u s pro vulg. E u h e m e r u s.

spectat locus ex Procli Chrestomathia c. 6 in Photii Bibliotheca p. 319 ed. Bekker. excerptus: *λέγει δὲ καὶ ἀριστεῦσαι τῷ μέτρῳ* [sc. *ἐλεγείῳ*] *Καλλῖνόν τε τὸν Ἐφέσιον καὶ Μίμνερμον τὸν Κολοφώνιον, ἀλλὰ καὶ τὸν Τηλέφου Φιλητᾶν τὸν Κῷον καὶ Καλλίμαχον τὸν Βάττου· Κυρηναῖος δ' οὗτος ἦν.* Ex eodem fonte alter deductus est rivulus, et purior quidem ille in Bibliotheca Coislin. p. 597. *Ἐλεγειοποιηταὶ δ'* (i. e. *quattuor*) *Καλλῖνος, Μίμνερμος, Φιλητᾶς, Καλλίμαχος.* Limo autem iam turbata est aqua quam hausit Tzetzes ad Lycophron. Vol. I. p. 257. *Ἐλεγείων δὲ ποιηταὶ Καλλίμαχος, Μίμνερμος καὶ Φιλητᾶς*, ubi aut scribendum est *Καλλῖνος* pro *Καλλίμαχος*, aut Scholiasta miro modo confudit vetustiorem illum canonem cum ea quam Quintilianus sequutus est ratione I. O. X, 1, 58. *Tunc et elegiam vacabit in manus sumere, cuius princeps habetur Callimachus, secundas confessione plurimorum Philetas occupavit:* quippe qui de aliis poetis elegiacis nisi de Alexandrinis non cogitaret. Iam vero idem Quintilianus X, 1, 54 testatur Aristarchum atque Aristophanem poetarum iudices neminem sui temporis in scriptorum classicorum numerum redegisse. Quid igitur in poetarum elegiacorum canone sibi volunt Philetas atque Callimachus, ipsi Alexandrini et illorum pæne æquales? Qui quidem ut ex animo evellatur scrupulus ante omnia animadvertendum est non integrum Aristarchi atque Aristophanis ad nos delatum esse iudicium, immo ne ipsius quidem Procli quam proposuit normam, sed locum ex eius Chrestomathia excerptum. Atqui ipse ille epitomator bene distinxit posteriores poetas elegiacos, Aristarchi atque Aristophanis ferme æquales, ab iis qui quattuor tribusve ante ætatem Alexandrinam sæculis elegiam excoluerant: laudatis enim Callino atque Mimnermo prudenter addidit illud *ἀλλὰ καί*, quo Philetam et Callimachum poetas quasi minorum gentium indicaret. Itaque hoc tenendum esse videtur, Callinum et Mimnermum ab ipso Aristarcho atque Aristophane grammaticis iisque criticis in ordinem venisse, Philetam vero et Callimachum posteriore demum tempore esse aggregatos.

Iam velut Callino primas in bellica ac politica eademque ethica elegia concessere, Mimnermus autem facile eroticæ elegiæ palmam tulit, ita Archilochus eorum poetarum quorum reliquiæ ad nos pervenerunt primus querimoniam inclusit versibus impariter iunctis. Et quoniam trium elegiacorum generum principes exstiterunt poetæ Callinus, Archilochus, Mimnermus, facile intelliges unde factum sit ut alii grammatici atque critici alios poetas elegiaci carminis inventores vel potius coryphæos sibi fingerent.

Per se quidem, velut rerum natura copias fundit immensas suavesque dædala tellus submittit flores, quum omnino Græcorum poesis varia ac multiplex prodiret, tum elegia præsertim Protei instar tam varias induit species formasque se vertit in omnes, ut vix liceat in classes distribuere disiecta carminum elegiacorum membra ipsa varietate sua candidos animos delectantia. Attamen quæ præcipua argumentorum capita sua quæque virtute proprioque lumine nitent quo facilius in uno quodam conspectu collocentur, quantum fieri potuerit, in ordinem quendam redigemus.

Iam primum elegiarum genus politicum idemque ethicum fuisse constat. Eo nimirum tempore, quo Græcia adhuc ludibunda prisca illa atque regia maiestate ex hominum animis sublata civitatiumque administrandarum temperamento quodam invento rerum publicarum gubernacula prudentissimo vel callidissimo cuique mandare cœpit, universus populus, ut sunt mobiles hominum animi, quæ olim ad astra educere solebat partim aspernatus atque asperrimo tyrannorum odio inflammatus effrenata libertatis cupiditate flagrantissimoque patriæ amore imbuebatur: quo factum est ut sub Olympiadum fere initium lætissimi epicorum poetarum flores paullatim marcescerent, liberioris autem animi sensus singulari quadam agilitate ac vigore excitati recentes quoque desiderarent sertas, quibus mutata eaque solutior civium vita exornaretur. Callinus igitur Ephesius princeps fuit politicæ sive bellicæ elegiæ, qua civium suorum animos ad quævis pericula fortiter subeunda adhortatus dulce et decorum esse ostendit pro patria mori. Etiam Archilochus Parius res bellicas atque civiles distichis inclusisse videtur, licet peculiaris isque hilarior sive iocosior color inductus sit ipsius politicarum elegiarum reliquiis. Ad Callinum vero proxime accedit Tyrtæus, cuius *Ὑποθῆκαι* Martium furorem spirantes ad fortitudinem et constantiam in rebus adversis patriæque amorem Lacedæmonios adhortantur. Eiusdemque poetæ Eunomia viam patefecit ad civitatium institutiones legesque elegiaco metro celebrandas: quare inde ab eo tempore, quo septem illos Græciæ sapientes pæne omnes in media re publica versatos esse constat, leges quasdam civibus imprimis salutares rerumque civilium rationes accuratius explicandas vel morum totiusque vitæ præcepta vulgo utilia distichis commiserunt poetæ illustrissimi iidemque partim sapientissimi civitatium moderatores, Periander Corinthius, Pittacus Mytilenæus, Chilo Lacedæmonius, Solo Atheniensis, Theognis Megarensis, Phocylides Milesius, Xenophanes Colophonius, Euenus Parius, Critias Atheniensis, Æsopus denique nescio quis.

A politica nequaquam abhorret elegia heroica sive epica eaque et mythica et historica ac fortasse iam a Simonide Amorgino, a Mimnermo Colophonio, a Simonide Ceo, a Panyaside Halicarnaseo excoli cœpta: certissimum est autem Alexandrum Pleuronium in Apolline, Hedylam in Scylla, Callimachum in Ætiis et Lavacro Palladis, Eratosthenem in Erigona fabulas qualescumque in elegiarum formam redegisse, quorum exemplar sequuti sunt poetæ posteriores Agathyllus, Butas, Simylus, rerum Romanarum imprimis exornatores elegiaci. Tum argumenta *ἱστορικομυθικὰ* distichis tractavit etiam Parthenius. Postremo huc referendus est Pigres Halicarnaseus, Artemisiæ frater, qui singulis Iliadis Homericæ hexametris pentametros tanquam versus intercalares subiunxisse narratur. Cum historica elegia intime cohæret species quædam ut ita dicam panegyrica, qua excellentium virorum virtutes illustrabantur: sic Solo Philocyprum Cypriorum regem distichis celebraverat tyrannorum maxime, Theognis elegiam scripsit in eos qui in Syracusarum obsidione servati erant, Critias in Alcibiadem, Melanthius in Cimonem, Nicomachus de pictoribus, Aristoteles in elegia ad Eudemum Platonis magistri laudes prosequutus est, Alexandri Musæ artis musicæ ac poeticæ principes celebrasse

videntur, Callimachi coma Berenices in omnium ore versatur idemque *Ἐπινίκιον ἐλεγειακὸν εἰς Σωσίβιον* condidisse narratur.

Ad ethicum elegiæ argumentum proxime accessit apologica quædam species Socratis præcipue aliorumque nescio quorum poetarum posteriorum opera ad fabulam Æsopiam accommodata. Eidem vero ethicæ elegiæ quodammodo opposita esse videtur parodia distichis inclusa, quippe quæ vel res viles ac vulgares verbis gravibus atque heroicis exprimere vel aliorum poetarum dicta e seriis in ridicula convertere vel sententias pronuntiare priorum poetarum dictis repugnantes vel omnino morum præcepta in deteriorem et iocularem sensum detorquere sibi proposuerit: qualem quidem vestem versicolorem antiquissimo tam tempore Asii Samii elegiam induisse reperimus; deinde Solo Atheniensis, Crates Thebanus, Timo Phliasius eandem parodiarum formam sibi indulserunt.

Quam præterea singulatim distinxerunt elegiam gnomicam sive parænelicam, ea quidem proprie est nulla, vel potius gnomica omnis fere elegia est: quod quum facile concesseris, luce clarius etiam patebit, ex quonam fonte manaverit didactica elegia, quemadmodum ex carmine heroico apud Iones iam enatum est epos didacticum. Primus autem eorum qui innotuere didacticam elegiam excoluisse videtur Nicander Colophonius, qui sicut hexametris Georgica, Metamorphoses, Theriaca et Alexipharmaca, ita distichis composuit Ophiaca; fortasse huc spectat etiam Pancrates Arcas *Κογχορηίδος* scriptor; præterea Philo Triccæus atque Andromachus Cretensis antidota quædam medica elegiaco metro incluserunt. Ex didactica elegia profecta est species quædam satirica, quatenus commota bile fecit indignatio versum elegiacum, qualem præ se tulisse censenda est Callimachi Ibis, qua Apollonium Rhodium ingratum discipulum acerbissime perstrinxisse videtur, forsitan etiam Eratosthenis *Ἀντερινύς*.

Alterum elegiacorum argumentorum caput *θρηνητικὸν* sive lugubre eorum quorum ad nostram ætatem propagata est memoria poetarum primus excoluit Archilochus Parius, qui distichis deploraverat sororis maritum una cum aliis civibus in undis exstinctum. Quem quidem lugubris elegiæ principem (excludimus enim insignem eorum poetarum numerum qui non *ἐλεγείας ἐπιταφίους* sed epigrammata sepulcralia versibus impariter iunctis incluserunt) excipit Simonides Ceus, quem elegiacis non minus quam melicis *θρήνοις* præcipuam suam in commovenda miseratione virtutem exposuisse par est, id quod hodieque intelligitur ex elegiarum frustulis scriptarum in hominem qui ad rupem Geraneam naufragium fecerat, tum in Timarchum iuvenem atque in Gorgonem puellam, immaturo utrumque fato abreptum; eandemque virtutem olim ut vel maxime conspicuam fuisse in eiusdem poetæ elegiis, quibus flebiliter cecinerat interitum eorum qui ad Marathonem quique ad Artemisium sanguinem pro universa Græcorum patria effuderant. In eosdem *Μαραθωνομάχας* Æschylus *ἐπικήδειον* composuerat distichis, quemadmodum Euripides in Athenienses qui in calamitosa illa Sicula expeditione ceciderant: neque a querimonia aliena est Andromachæ elegia miseram captivitatis sortem

flebiliter deplorantis. Sequitur Antimachi Lyda flebilibus iisdemque consolatoriis distichis celebrata. Ex lugubri elegia depromptum est etiam Anytæ poetriæ tetrastichum (Anth. Pal. VII, 646) in Eratonem virginem defunctam. Deinde in Menandrum Comicum, qui dum in Piræeo portu nataret submersus est, nobilissimæ a Græcis editæ traduntur elegiæ. Post Aratum, cuius epicedia in Cleombrotum atque Myrin fratrem laudantur, Parthenius ultimus exstitit eorum qui claruere lugubris elegiæ poetarum Græcorum.

Tertium genus est amatorium, cuius princeps Mimnermus Colophonius vitæ humanæ fragilitatem ac brevitatem, rerum inconstantiam ac levitatem, amoris desideria flagrantissima, ea tamen irrita neque mutuo animorum vinculo confirmata, in Nannone ita complexus esse videtur ut vitam sine amore vitalem esse negaret: cuius quidem vestigia partim pressisse videtur Anacreon Teïus. Eodemne pertinuerint Sapphonis quoque ἐλεγεῖα equidem decernere non ausim. A Mimnermi autem æmulatoribus Alexandrinis, ut Theognidis puerorum amores hoc quidem loco omittamus, post trium quattuorve sæculorum spatium versibus impariter iunctis inclusa est voti sententia compos. Sic Philetas Bittidis amorem, Hermesianax Leontium amicam carminibus elegiacis illustrarunt, Phanoclis elegiæ inscriptæ erant Ἔρωτες ἢ καλοί, Callimachus quoque sæpe legenti delicias versu fassus est ipse suas. Euphorionis denique et Parthenii quales fuerint elegiæ eroticæ hodie ad liquidum perduci nequit.

Ab amatorio argumento haud ita aliena esse videtur elegia convivalis (συμποσιακή), quandoquidem, ut in proverbio est, sine Baccho et Cerere friget Venus. Atque antiquissimo iam tempore Græcos convivia cantu saltuque ornare solitos testis est Homerus ipse, qui Odyss. XXI, 430 μολπὴν καὶ φόρμιγγα ait esse ἀναθήματα δαιτός, atque XVII, 271 φόρμιγγος meminit, ἣν ἄρα δαιτὶ θεοὶ ποίησαν ἑταίρην, qui quidem mos posteriori demum ætate scoliorum poesin produxit. Scolia autem ipsa quanquam proprie ad Æolicum melos referuntur, tamen quæ admirabilis eorum varietas est elegiacam quoque interdum induerunt formam, quam alii quidem poetæ non deflectentes de via omnium communi, Dionysius autem ὁ Χαλκοῦς ita ad conviviorum usum accommodavit ut, etiamsi fortasse non omnes, quasdam tamen elegias symposiacas a pentametro inciperet eodemque terminaret. Quæ quidem scolia ut ita dicam elegiaca tibia accinente vel præludente in conviviis esse cantata ac recitata sive ab aulœdis mercede conductis sive ab ipsis etiam potatoribus haud improbabiliter ostendit F. Osannus in Symbolis ad historiam litterarum Græcarum Vol. I p. 58 sq. Ante Dionysium Atheniensem conviviorum iucunditatem distichis exornarunt poetæ illustrissimi, Anacreon Teius, Xenophanes Colophonius, Theognis Megarensis, Simonides Ceus, Io Chius, Euenus Parius.

Reliqua est bucolica quædam elegiarum species, quæ præcipue pertinet ad vitam pastoralem pastorumque amores, ab Hermesianacte atque Theocrito illa quidem ita tractata ut ad eroticam elegiam proxime accessisse videatur.

Quæ quum in universum de origine ac progressu poesis Græcorum elegiacæ ita disputaverimus,

ut ipsa argumenti ratio veterumque scriptorum memoria litteris mandata flagitare videbatur, nunc in recentiorum philologorum sententias qui hactenus eandem rem accuratius tractandam sibi sumpserunt quam brevissime inquiramus.

Et primus quidem qui huic Græcarum litterarum generi paullo maiorem impenderet operam apud Gallos exstitit *Souchæus*,[44]) qui tribus deinceps dissertationibus annis **1726. 1728. 1729** in Academia Parisiensi recitatis demonstrare conatus est vocabulum *ἔλεγος* ab *ἒ ἒ λέγειν* derivandum spectare ad lugubre carminis argumentum usumque elegiarum a præficis ad tibiam cantatarum ab Ægyptiorum inde Assyriorumque more repetendum. Qua tamen in re nenias illas atque lamentationes antiquissimas, quarum forma qualis fuisset ipse in medio reliquit, caute distinxit ab ea qua Callinus et Mimnermus usi essent distichorum ratione. Mimnermum vero vir ceteroquin elegantissimus primum fuisse suspicatur qui elegiam a funeribus ad amorem transtulisset: nego a funeribus, quandoquidem ante Mimnermum, qui primus eroticam elegiam celebravit, alia etiam argumenta ab aliis poetis elegiaco metro inclusa fuisse compertum habemus.

Longo post Souchæum intervallo eiusdem sæculi anno **LXXXXVI** in arenam descendit *Carolus Augustus Bœttigerus*[45]) geminas easque bellicas tibias (*αὐλοὺς ἀνδρηίους καὶ γυναικηίους* auctore Herodoto I, VI) a Lydis ad Iones translatas pentametri inveniendi occasionem dedisse arbitratus, ut hexametrum masculina sive dextra, pentametrum feminina sive sinistra tibia prosequeretur: quam quidem sententiam haud ita improbabilem esse Fridericus Thierschius in Actis philologorum Monacensium IIII p. 584 sq. censet, modo recte ea res intelligatur neque sibi quisquam fingat longiorem distichi versum ad dextram, breviorem ad sinistram recitatum aut cantatum fuisse: fieri enim hoc propterea non potuit quod utraque tibia simul canebatur et etiamnum canitur apud Siculos pastores. At verissime iam in omnem hanc interpretationem animadvertit Schlegelius in Athenæo I, 2. p. 88 elegiæ originem in ipsa humana natura insitam esse. Et sicut antiquis temporibus omnino potior habita vox humana, instrumenta autem huic serviebant, non vox instrumentis, ita fieri non potuit ut duplicis tibiæ inventionem subsequeretur pentameter iunctus hexametro. Hinc Pindarus hymnos dixit *ἀναξιφόρμιγγας*, atque Pratinas:

τᾶν ἀοιδᾶν κατέστας σὺ Πιερὶς βασίλει᾽, ὁ δ᾽ αὐλὸς
ὕστερον χορευέτω·
καὶ γάρ ἐσθ᾽ ὑπηρέτας κώμων μόνον.[46])

[44]) ***Discours sur l'élégie et sur les poètes élégiaques par M. l'abbé Souchay. Mémoires de l'Academie des inscriptions et belles lettres T. VII p. 555—597.***

[45]) ***Ueber die Erfindung der Flœte und die Bestrafung des Marsyas*** in Wielandii Museo Attico I p. 293 sqq. Rep. in Bœttigeri opusculis Germ. a Silligio meo editis I p. 5 sqq.

[46]) Pindari Olymp. 2, 1. Pratinas apud Athen. XIIII, 8. p. 617 D. cf. Bœckh. de Metris Pindari p. 258.

Accedit quod tibia elegiam comitata apud veteres scriptores ubique intelligitur simplex (i. e. πλαγίαυλος sive *obliqua* Plinii N. H. VII, 56, 204), nusquam duplex (*geminæ tibiæ*). Ipsi autem Bœttigero umbram quandam veritatis consectato tibiarum geminarum in pugnis usus optime convenire videtur ad bellicum Callini Tyrtæique elegiarum argumentum: quæ quidem coniectura virum elegantissimæ doctrinæ copia eminentem eo adduxit ut vel ἐμβατήρια sive ἐνόπλια Lacedæmoniorum, quæ tamen anapæstico metro composita fuisse nemo hodie ignorat, mirum in modum cum Tyrtæi elegiis bellicis confunderet. Præterea ut taceam Mimnermum Bœttigero auctore geminis tibiis pentametrisque dulciores sensus inspirantem, Simonidem funebribus elegiis et epigrammatis effecisse ait ut metrum ipsum vocabulo tunc demum invento ἐλεγεῖον diceretur. Nihil autem ineptius quam quod Simonidem non solum carmina distichis composita sed etiam lyricos anapæstos atque μέλη lugubria appellasse ἐλεγείας hariolatus est. Gravius est quod ἐλεγεῖον (i. q. *distichum*) monumentis sepulcralibus potissimum inscriptum in caussa fuisse coniecit ut iam metrum ipsum eo nomine designaretur atque omnino elegiæ tibia vindicaretur socia.

Qui eodem fere quo Bœttigerus tempore idem argumentum tractandum sibi elegit, *H. Waardenburgius* Batavus, [47]) adeo operam perdidisse videtur ut nominis tantum mentionem iniecisse sufficiat. Bœttigerum maiori iure excipit *Conradus Schneiderus*, [48]) qui in hymnis Homericis primum conatum factum esse censet ad lyricam poesin ab epica separandam: in quam tamen sententiam animadvertere licet hymnorum poesin et ante Homerum et post Homerum apud Græcos floruisse. Verissime autem Schneiderus perspexit peculiarem lyricæ poesis formam ab Ionibus esse inventam, hexametrum videlicet cum pentametro ita copulantibus, ut stropha efficeretur, qualem lyricæ poesis natura desiderat, immo etiam etiamque efflagitat. Et quoniam Callinum, plurimorum grammaticorum consensu elegiæ inventorem, qui sub Olympiadum initium iam floruisset, Ephesium fuisse constat, Schneiderus hinc quoque conclusit elegiam antiquitus ab Ionibus potissimum esse excultam.

Omnium vero qui in historiam atque naturam elegiacæ Græcorum poesis inquisiverunt dux et signifer exstitit *Ioannes Valentinus Franckius*, cuius liber exquisitæ subtilisque doctrinæ plenus inscriptus est *Callinus sive quæstionis de origine carminis elegiaci tractatio critica* (*Altonæ et Lipsiæ 1816*). At nescio an in Franckii Callinum idem fere quadret quod Ruhnkenius de Wolfii Prolegomenis Homericis dicere solebat: *Dum lego librum, assentior; cum posui librum, omnis illa assensio elabitur.* Et primum quidem ille elegiam initio lugubrem fuisse negavit eamque a Callino bellico poeta inventam esse coniecit, verba autem ἔλεγος, ἐλεγεῖον, ἐλεγεία Simonidis demum ætate apud Atticos ita valuisse putavit, ut ἔλεγος esset lugubre carmen, ἐλεγεῖον autem et ἐλεγεία nullam nisi

47) *De argumento et natura optimaque forma elegiæ* a. 1796, rep. in eius lem opusculis 1812 p. 1—26.
48) *Ueber das elegische Gedicht der Hellenen* in Daubii et Creuzeri Studiis Heidelbergensibus IIII p. 1 sqq.

metricam præ se ferrent potestatem. «Significat enim ἔλεγος (sic ipse ait p. 41), ut tribus verbis rem complectar, lugubre carmen distichis compositum, quod quidem non sit epigramma, nunquam lugubre carmen alio metro; carmen autem distichis quidem scriptum, sed non lugubre, apud Romanos[49]) demum *elegus* dici cœpit: Græci tale carmen, si epigramma non erat, derivato inde nomine et ad universum metri genus traducto ἐλεγείαν, ipsum vero distichum ἐλεγεῖον[50]), et plura omnino disticha sive uno vel epigrammate vel alio carmine cuiusvis argumenti sive pluribus comprehensa plurali numero ἐλεγεῖα vocabant. Distichum brevitatis caussa simpliciter dico hexametri et pentametri coniunctionem, ceteroquin haud ignarus veteres binos omnino versus cuiuscunque mensuræ appellasse hoc nomine. Nomina autem illa apud Atticos demum a Simonidis inde tempore usurpari cœpta: ante Simonidem elegiaca carmina una cum heroicis ἔπη vocata.»

Quæ ipse deinceps in eandem materiam patrio sermone commentatus sum, ea hocce libro partim retractavi partim Stesichori instar palinodiam cecini: nimirum quam antea de vocis ἔλεγος simplicitate eiusque ad eandem radicem unde exclamandi formula ἐλελεῦ profecta est referendæ, non a duobus vocabulis descendentis, οὐκ ἔστ' ἔτυμος ὁ λόγος οὗτος. Vtinam velut poetæ sic mihi quoque contigerit ut si olim cæcus fui hodie Musarum benignitate resipiscam.[51])

